REVERENDORVM PATRVM D. THOMÆ PRESTONI *Congregationis Cassinensis*,

&

Fr. THOMÆ GREENÆI *Congregationis Hispanicæ Ordinis* S. Benedicti *Religiosorum, & Sacræ Theologiæ Professorum,*

Ad Sanctissimum ac Beatissimum Patrem *Gregorium Decimum quintum*, Pontificem Maximum, *Sanctamq; Sedem Apostolicam*, Humillima Supplicatio.



BIBLIOTHECA LAMBETHANA

BIBLIOTHECA LAMBETHANA

IEREM. 5.

Causam viduæ non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicaverunt: Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiscemodi non vlciscetur anima mea?

AVGVSTÆ,
Apud BAPTISTAM FABRVM.
1621.
Permissu Superiorum.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI *GREGORIO DECIMO QVINTO*, PONTIFICI MAXIMO,

D. Thomas Preſtonus Congregationis Caſſinenſis, & Fr. *Thomas Greenæus* Congregationis Hiſpanicæ Ordinis *S. Benedicti Presbyteri Religioſi, fœlicitatem ſempiternam exoptant.*

1. HAud ignotum eſſe *Veſtræ Sanctitati* arbitramur (*Pater Beatiſsime*) cùm res tam publica & pervulgata ſit, Nos D. *Thomam Preſtonum*, & Fr. *Thomam Greenæum* Anglos Benedictinos, & Sacræ Theologiæ Profeſſores, nomine noſtro, & *Rogeri Widdringtoni* Catholici Angli, cæterorumque eius doctrinæ adhærentium, & adhærere volentium, ob intoleranda quædam grauamina nobis multifariè, multiſque modis tum illata, tum in futurum veriſimiliter inferenda, quinque circiter ab hinc menſibus, nempe die nono *Decembris* anni iam proximè elapſi, à duobus potiſſimùm Decretis Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium

ad Indicem deputatorum aduersùs tres prædicti *Widdringtoni* libros ex ſiniſtra informatione editis, tanquam manifeſtè iniuſtis, & ex praua quorundam, præſertim Illuſtriſſimi *Cardinalis Bellarmini*, ſuggeſtione latis, necnon ab Illuſtriſſimis Dominis *Cardinalibus* ad Indicem deputatis, tanquam parum æquis, ſuſpectis & malè informatis Iudicibus, & à quacunque ſententia, ſiue definitiua, ſiue interlocutoria, aut alio quouis nomine nuncupetur, ab ipſis, aut alijs quibuſcunque etiam *Nuncijs Apoſtolicis* intuitu præfatæ *Widdringtoni* doctrinæ, aut vllo ad eam reſpectu habito, vel iam lata & denunciata, vel deinceps ferenda & denuncianda, & à quauis alia authoritate etiam Illuſtriſſimis Dominis *Cardinalibus*, aut *Nuncijs Apoſtolicis*, alijſue quibuſcunque delegata vel deleganda, ad *Sanctiſſimũ* Dominũ noſtrũ *Papam* immediatè appellaſſe & prouocaſſe, cauſamque noſtram ad *Sedẽ Apoſtolicã*, ab ea pro ſingulari eius prudentia, charitate, ac iuſtitia, cognoſcendam, iudicandam, atque terminandam detuliſſe, ipſumque Illuſtriſſimũ Cardinalem *Bellarminum* de atrociſſimis illis calumnijs, quas *Widdringtonus* in libello ſupplici, anno Domini 1616. impreſſo, *Suæ Sanctitati* perſpicuè detexit, quæque præcipuam noſtrorum grauaminum, & oppreſſionum cauſam præbuerunt, in iudicium vocaſſe, & iuſtitiam contra eum obnixè poſtulaſſe. Hancque noſtram Appellationem, prouocationem & poſtulationem, vt in totius mundi conſpectum prodiret, neque Aduerſariorum conatibus in latebris, vel paucorum manibus abſcondita deliteſceret, typis publicis excudendam, atque evulgandam, innocentiæ & cauſæ noſtræ æquitati confiſos, quamprimùm curaſſe.

2. Et

2. Et quantumuis firmiter nobis perſuadeamus, prædictam noſtram *Appellationem, prouocationem,* & *poſtulationem* ex morte *Prædeceſſoris* veſtri, cuius tempore facta eſt, nullam vim ſuam aut robur amiſiſſe, ſed, non obſtante illius obitu, integram, firmam, ac ſtabilem in vigore ſuo hucvſque permanere, quandoquidem non ſpeciatim & nominatim ad *Paulum Quintum* Pontificem Maximum (ſcientes, quòd *vita noſtra ſit vapor ad modicum parens, & tanquam vmbra ſint dies hominis ſuper terram*) ſed verbis tantum generalibus ad *Sanctiſsimum Dominum* noſtrum *Papam*, quicunque ille ſit vel fuerit, ſeu generatim ad *Sedem Apoſtolicam* de induſtria appellauimus & prouocauimus; Ad maiorem tamen cautelam, atque vt omnis cauillandi, & contra dictam *Appellationem* excipiendi occaſio adimatur, eam denuo renouandam, inſtaurandam, & confirmandam tutius eſſe iudicamus, ſicut per præſentes eam de integro renouamus, inſtauramus, & confirmamus, & iterum tum ad *Veſtram Beatitudinem* nominatim, tum ad *Sedem Apoſtolicam* generatim, ob cauſam iam dictã, immediatè appellamus & prouocamus, atque præfatam noſtram *Appellationem, prouocationem,* & *poſtulationem* (quam cum hoc noſtro ſupplici libello typis etiam publicis, ob cauſam ſuprà memoratam, excuſo, ad Illuſtriſſimum Dominum *Nuncium Veſtrum Apoſtolicum Pariſijs* manentem, vt ad *Veſtram Beatitudinem* quamprimùm tranſmittantur direximus) per præſentes, Deo auxiliante, renouare, confirmare, & ex parte proſequi nobis eſt inſtitutum. *Iac. 4. Iob. 8.*

3. Quapropter *Veſtram Beatitudinem*, communem omnium noſtrûm, etiam Illuſtriſſimorum S. R. E. *Cardinalium* in ſpiritualibus Patrem, Paſtorem, ac Iudi-

cem ſupremum, ſummis precibus ſuppliciter obteſtamur (quæque totius noſtræ *Appellationis*, *prouocationis*, *poſtulationis*, eiuſdemque *proſequutionis* ſumma & ſubſtantia eſt) vt, abſque vlla perſonarum acceptione, quod iuſtum eſt iudicare, vique oppreſſos de manu calumniantium eruere, & ſcandaloſæ huic controuerſiæ de poteſtate Papali Principes ſupremos deponendi tanquam de fide Catholica ab omnibus neceſſariò credenda (quæ tantorum in Eccleſia præſertim Anglicana tumultuum cauſa extitit) finem, quantum fieri poteſt, tranquillum iam tandem imponere non grauetur; atque vt vel *Breuia* Prædeceſſoris Veſtri Iuramentum fidelitatis prohibentia, & *Decreta* Illuſtriſſimorum *Cardinalium* ad Indicem deputatorum libros *Widdringtoni* verbis tantùm generalibus proſcribentia, cùm eorum vtraque in falſis informationibus, & ſuppoſitionibus fundata ſint (vti *Widdringtonus* clariſſimè commonſtrauit, [a] & infra *Veſtræ* etiam *Sanctitati* ſatis perſpicuum fiet) reſcindere ac abrogare, noſque omnino innocentes, nullique crimini eo nomine obnoxios, quin potius *Cardinalem Bellarminum*, cæteroſque illius ſequaces, qui tam falſa & execranda crimina *Widdringtono* impoſuerunt, falſamque fidem Catholicam in re tam magni ponderis procudere non formidarunt, calumniarum, impoſturæ, & criminis falſi reos eſſe palàm declarare, vel vnicam ſaltem propoſitionem ſiue in præfato *Iuramento*, ſiue in *Widdringtoni* libris contentam, quæ fidei aut bonis moribus repugnet, nobis notum facere, quò eam confeſtim retractare, abiurare, aut ab ea nos purgare valeamus, quamprimùm velit. Quàm autem rectæ rationi, charitati, iuſtitiæ, & æquitati conſona, neque filijs à Patre, ouibus

[a] *In Diſputat. Theologica c. 18. num. 2. & fuſiùs in Confut. Tho. Fitzherbt. part 3. cap. vlt.*

ouibus à Paſtore, & ſubditis iniuſtiſſimè oppreſſis deneganda ſit à Iudice, & Chriſti Domini Vicario humillima hæc noſtra *Supplicatio*, apud *Veſtram* potiſſimùm *Beatitudinem*, cæteroſque omnes non planè iniquos rerum æſtimatores iudicium eſto.

4. Catholici enim ſumus (*Pater Beatiſsime*) & Eccleſiæ *Catholicæ Romanæ*, pro qua palàm agnoſcenda grauia incommoda aſſiduè ſuſtinemus, filij deuotiſſimi, eiuſque iudicio & cenſuræ nos in omnibus humillimè ſubmittimus, illamque fidem *Catholicam Romanam*, prout verbis expreſſis à *Pio Papa Quarto* in fine *Concilij Tridentini* edita habetur, ſyncerè profitemur: Quaſcunque hæreſes, errores, & doctrinas non ſanas ab *Eccleſia* damnatas, reiectas, & anathematizatas, nos etiam toto corde vniuersìm damnamus, reijcimus, & anathematizamus; & ſi aliqua particularis propoſitio vel in libris *Widdringtoni*, vel in alijs quibuſcunque contenta, quæ fidei, ſaluti, bonis moribus, aut ſanæ doctrinæ repugnans ſit, nobis ſpeciatim innoteſceret, ad eam quoque ſpeciatim damnandam, reijciendam, atque anathematizandam, quando id à nobis poſtulabitur, nos paratiſſimos eſſe, ſyncerè & coram Deo proteſtamur. Et hoc proculdubio nos ab omni hæreſeωs & erroris labe, quantumuis aliquid ſanæ doctrinæ contrarium, quod adhuc nos latet, *Widdringtono* per ignorantiam excidiſſet, excuſare ac penitus liberare abundantiſſimè ſufficiet.

5. Sed non propterea *Veſtræ Sanctitatis* prudentiam exiſtimare velimus, *Nos* vllam planè in mentibus noſtris dubitationem, diffidentiam, aut ſcrupulum de cauſæ noſtræ iuſtitia concipere, quin immo innocentiæ noſtræ confiſi, certiſſimè nobis perſuademus,

Veſtram

Vestram etiam *Beatitudinem*, si verum controuersiæ statum, quem Aduersarij, quantum in ipsis est, dissimulare indies student, seriò expendere voluerit, clarissimè perspecturam, neque *Widdringtonum*, neque alios eius doctrinæ adhærentes, qui non auri & argenti, sed *Fidei Catholicæ*, quæ quouis auro & argento longè pretiosior est, falsarios detexerunt, eorumque artificia, fraudes, & imposturas, palam fecerunt, vlla prorsus pœna, sed præmio potius eo nomine dignos esse, atq; *Aduersarios*, qui in maximam *Principum* supremorum, qui *Ecclesiæ* Sanctæ *Nutritij* & *Protectores* à Deo constituti sunt, iniuriam, falsa fidei dogmata, cum grauissimo *Ecclesiæ Romanæ*, *Sedisque Apostolicæ* opprobrio & scandalo, procudere, cæterisque Christi fidelibus per vim obtrudere, eosque, qui tam pernicios suis nouitatibus non applaudunt, sed aduersantur, à communione Ecclesiastica tanquam Ethnicos & Publicanos excludere non verentur, de crimine *falsi*, *calumniæ*, *Schismatis*, & *læsæ Maiestatis*, tam in *Ecclesiasticam* quàm in *Ciuilem* Rempublicam reos, iure merito accusandos, condemnandos, & grauissimè castigandos esse.

6. Si enim Dei veracissimi verbo & testimonio quidquam prorsus detrahere, vllumve verum fidei Catholicæ articulum abnegare scelus grauissimum esse nimis manifestum sit, profectò Dei verbo aliquid superaddere, falsumque fidei Catholicæ ac diuinæ dogma confingere, crimen etiam esse permagnum nemo inficiari poterit; cùm diuini testimonij veritas, & fidei Catholicæ puritas non integra & inuiolata ab illis conseruetur, qui vel veros fidei Catholicæ articulos reijciunt, vel falsos cudunt, qui vel negant Deum ea reuelasse quæ reuelauit, vel pro certissimo asserunt,

Deum

Deum ea reuelasse, quæ reuera non reuelauit: Hinc enim fidei Catholicę pura veritas pernicioſis falſitatibus, & corruptelis deprauatur; illinc Deus ipſe, qui eſt prima, & infallibilis veritas mendacij arguitur, quod apertè hæreticũ eſſe oẽs norunt. Non igitur Sedi Apoſtolicæ, aut cuiuis verè Catholico gratum eſſe debet, quòd falſa fidei Catholicæ dogmata à quoquam, quantæcunque alioquin dignitatis fuerit, vel procudantur, vel propugnentur, quantumuis prima facie in honorem *Summi Pontificis*, aut ipſiuſmet etiam *Beatiſſimæ Chriſti Matris* honorem tendere videantur. *Honor* enim *Pontificis* (vti de *Beatiſsima Virgine* dixit *S. Bernardus* illi alioquin deuotiſſimus) *iudicium*, ſeu diſcretionem *diligit*; Sedes Apoſtolica *falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum*: Neque profectò expedit, aut licet vlli verè Catholico maiorem authoritatem *Summo Pontifici* tanquam illi abſque vlla prorſus dubitatione à *Chriſto Domino* datam, tribuere, quàm certò & abſque vlla prorſus dubitatione conſtet illi à *Chriſto Domino* conceſſam. Et qui *Summi Pontificis* authoritatem, præſertim in *Regiæ poteſtatis* derogationem, plus nimio extollunt, Sedis Apoſtolicæ *authoritatem labefactant, non fouent, euertunt, non firmant. Nam quid tandem aduerſus hæreticos*, ait doctiſſimus *Melchior Canus*, *diſputando ille proficiet, quem viderint non indicio, ſed affectu patrocinium authoritatis Pontificiæ ſuſcipere, nec id agere, vt diſputationis ſuæ vi lucem, ac veritatem eliciat, ſed vt ſe ad alterius ſenſum, voluntatemq; conuertat. Non eget* Petrus *mendacio noſtro, noſtra adulatione non eget.*

S. Bernard. in epiſt. 174. ad Canonicos Lugdun.

Canus lib. 5. de locis cap. 5. prope finem.

7. Notum eſt (*Beatiſſime Pater*) vniuerſis Theologiæ, & Iuris Canonici peritis, magnam eſſe inter eruditos Catholicos controuerſiam (vt alias ſimiles,

veluti de dominio *Summi Pontificis* directè in temporalib⁹, de poteſtate eius in ſolemni caſtitatis voto diſpenſandi, & res fidei abſque Concilio generali infallibiliter definiendi nunc mittamus) an *Sedes Apoſtolica* in matrimonio rato non conſummato diſpenſandi, ſeu à vinculo inter coniuges inde contracto abſoluendi poteſtatem habeat: Et profectò ſi aliqui Theologi, aut Iuriſconſulti authoritatis Pontificiæ promouendæ percupidi iam exurgerent, & nouam de hac re fidem Catholicam procuderent, affirmantes, eſſe rem de fide certam, & ab omnibus neceſſariò credendam, quòd talis poteſtas *Sedi Apoſtolicæ* competat, atque ad nouam hanc fidem confirmandam ſimilia argumenta, quibus Card. *Bellarminus*, eiuſque ſequaces ad nouam eorum fidem de poteſtate *Papali Principes* deponendi, eorumque ſubditos à temporali fidelitate abſoluendi, ſtabiliendam vtuntur, nempe, illa Chriſti Domini verba, *Quodcunque ſolueris* &c. tot Summorum Pontificum facta ſeu praxes pluribus eorum *Bullis* confirmatas, & eiuſmodi argumenta producerent, atque contrariam Catholicorum ſententiam, non tam *ſententiam*, quàm *hæreſim* eſſe palàm prædicare, eoſque Catholicos qui nouæ eorum fidei non applaudunt, ſed obſiſtunt, tanquam hæreticos, Pſeudo-Catholicos, Eccleſiæ Romanæ, Sediſque Apoſtolicæ hoſtes traducere, necnon à Sacramentorum perceptione, & communione Eccleſiaſtica tanquam indignos excludere non pertimeſcerent, nullatenus ſanè dubitamus, quin ipſemet *Card. Bellarminus* eiuſmodi nouæ fidei non ſtatim acquieſceret, ſed tales Theologos aut Iuriſconſultos, quantumcunque alioquin doctiſſimos, & ſingulari *Sedis Apoſtolicæ*, & Pontificiæ poteſtatis

poteſtatis exaltandæ zelo, ſed certè non ſecundum ſcientiam, ardentiſſimos, *temeritatis*, *ſcandali*, *calumniæ*, *Schiſmatis*, & *impoſturæ* ſeu *criminis falſi* reos, grauique ſupplicio dignos iudicaret. Quòd ſi Illuſtriſſimus *Bellarminus*, eiuſque aſſeclæ iſtiuſmodi exempla velint ſeriò & ſyncerè ſibiipſis applicare, veramque *Schiſmatis* naturam diligenter expendere, quæ non ſolùm diſiunctionem à capite, ſed à corpore etiam, membriſque Eccleſiæ diſunionem ſignificat, quæque proinde in veri atque indubitati *Summi Pontificis* perſona (vt communiter Theologi [g] tradunt) reperiri poteſt, facilè proculdubio animaduertent, quantorum criminum ſi non Authores præcipui, ſaltem participes & rei ſint, eo quòd falſam fidem Catholicam, *Sanctiſq; Patribus* incognitam, & proinde non verè *Catholicam*, id eſt, *ſemper, vbiq;, & ab omnibus* [h] *traditam*, de poteſtate Papali Principes deponendi, de qua magna ſemper fuit, & nunc etiam eſt inter eruditos Catholicos controuerſia, procudere & propugnare, cæteroſque Catholicos qui illis refragantur, tanquam hæreticos, Pſeudo-Catholicos, Eccleſiæ Romanæ, Sediſque Apoſtolicæ hoſtes inſectari, &, ac ſi Ethnici ac Publicani eſſent, à communione Eccleſiaſtica ſecludere non vereantur.

[g] *Turrecremata lib. 4. Sum. de Eccleſ. p. 1. c. 11. Caiet. 2ª 2æ. q. 39. ar. 1. Bannes ibid. Valentia tom. 3. diſp. 3. q. 15. punct. 1. & alij.*

[h] *Vincentius Lyrin. aduerſus prophanas hæreſium nouitates.*

8. Nam verus ſcandaloſæ huius controuerſiæ inter Card. *Bellarminum* eiuſque ſequaces, atque *Widdringtonum* eiuſque doctrinæ adherentes, de poteſtate Papali Principes deponendi ſtatus eiuſmodi eſt (*Pater Beatiſſime*) vt neque *Widdringtono*, neque nobis, qui eius doctrinam hac in re amplexamur, inſtitutum ſit de *abſoluta* hac enunciatione, an Papa iure diuino Principes deponendi poteſtatem habeat necne, cùm Card.

Bellarmino eiuſque ſequacibus in præſenti contendere, ſed ſolùm de hac *modali*, an ſit doctrina de fide adeo certa talem poteſtatem illi à Chriſto Domino conceſſam eſſe, vt ab vniuerſis fidelibus neceſſariò & ſub pœna æternæ damnationis credenda ſit, neque vlla de ea inter eruditos Catholicos controuerſia exiſtat.

9. Niſi igitur Card. *Bellarminus*, & quidam alij recentiores, præſertim Suæ Societatis Ieſu, Theologi eius veſtigijs inhærentes, in magnum Eccleſiæ Romanæ ſcandalum, in ſummam poteſtatis Regiæ derogationem, in maximam virorum Catholicorum, & de Eccleſia Romana benemerentium contumeliam, in non leue perpetuæ inter Regnum & Sacerdotium diſcordiæ periculum, atque in ingens Catholicorum noſtræ nationis Anglicanæ præiudicium, falſum hac in re fidei Catholicæ dogma ſtabilire (ſicut iampridem in materia de auxilijs gratiæ ſed fruſtra conati ſunt) priuatum ſuum ſpiritum pro indubitata fidei Catholicæ regula reliquis omnibus per vim obtrudere, eoſque Catholicos qui contrà ſentiunt, tanquam hæreticos, Pſeudo-Catholicos, & Eccleſiaſtica communione indignos traducere non formidaſſent, non habuiſſent profectò nos in hac controuerſia illis tam vehementer aduerſantes. Veruntamen cùm prædicti Theologi ſub ſpecie zeli, atque veritatis, & Pontificiæ poteſtatis euehendæ prætextu, falſam Sanctiſque Patribus ignotam fidem Catholicã, eamque, vti diximus, tam *Sedi Apoſtolicæ*, quàm *Regiæ Maieſtati*, cæteriſque quamplurimis Catholicis adeo pernicioſam fingere & firmare, atque *Romano Pontifici* turpiter abutentes eum in eundem errorem pertrahere, ſuamque fidem falſam vijs indebitis, maliſque artibus

artibus ſtabilire non vereantur, non ægrè ferant, quòd alij Theologi, tametſi illis Theologiæ peritia inferiores, etiam amore veritatis, & *fidei Catholicæ, Sediſque Apoſtolicæ*, ac *ſupremæ* Regum *poteſtatis* zelo permoti, illis palam & in oculis omnium contradicere, eorumque falſam, & peſſimè fundatam fidem Catholicam reijcere, & vniuerſa, quibus ad eam roborandam vtuntur, artificia patefacere non pertimeſcant.

10. Quis enim ſyncerè Catholicus, atque erga Eccleſiam Chriſti, & Regna mundi, ſpiritualem Pontificum, ac temporalem Regum poteſtatem bene affectus æquo animo ferre poteſt, quòd pauci quidam Theologi recentiores, quantacunque alioquin eruditione, dignitate aut potentia præ cæteris præpolleant, audeant tam intrepidè cum tanto Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſcandalo, & maxima Principum Chriſtianorũ iniuria, grauiſſimoque ſubditorũ fidelium præiudicio, hoc præſertim ſæculo infœlici, in quo vera & antiqua fidei Catholicæ Romanæ dogmata ab Eccleſiæ Romanæ Aduerſarijs non ſolùm in quæſtionẽ vocantur, ſed acerrimè etiam impugnantur, novũ, & antiquis Patribus incognitum fidei Catholicæ articulum, in rebus præſertim ad temporalem fidelitatem ſpectantibus, confingere, atque in eiſdem priuatas ſuas opiniones pro certiſſima fidei regula cæteris contrà ſentientibus per vim obtrudere, & pro doctrina incerta, atque apud Catholicos controuerſa, & *quam ipſemet Dominus Papa*, (ait *Cardinalis Peronus*) *ob pacis Eccleſiaſticæ bonum in Francia tolerat*, quæque *impedire non debet reunionem eorum, qui Eccleſiæ reconciliari deſiderant*, Eccleſiæ vnionem hîc in Anglia diſrumpere, Catholicos Anglos, qui falſæ ſuæ fidei obſiſtunt, ad communionem

Card. Peron en Harangue au tiers Eſtat. pag. 98. & in magna Replic. cap. 91. pag. 633.

Eccleſiaſticam non admittere, ſed, ac ſi Ethnici aut Publicani eſſent, à Sacramentis percipiendis excludere, atque ita pernicioſiſſimum *Schiſma* non ſolùm accendere & fouere, verùm etiam ipſummet *Summum Pontificem*, communem Eccleſiæ Patrem, Paſtorem, & cui præ cæteris cura ſollicitè *ſeruandi in Eccleſiæ corpore vnitatem ſpiritus in vinculo pacis* à *Chriſto* Domino concredita eſt, vt ſub illius vmbra peſtiferas ſuas, ſcandaloſas, ſeditioſas, & *Principum Coronis* iniurioſas, eorumque *Capitibus* periculoſas nouitates plauſibiliùs pallient, illiſque maiorem authoritatem apud vulgus præſertim imperitum concilient, ad partes ſuas falſis informationibus pertrahere, illique, vt ſcandaloſi & pernicioſi huius *Schiſmatis*, & acerbiſſimorum grauaminum, quæ filij eius deuotiſſimi iniuſtè patiuntur, non ſocius duntaxat & conſors, ſed vt eius authoritate, *Breuibus*, & *Decretis* præcipuus Author ſit, falſis ſuis & iniquis ſuggeſtionibus perſuadere non perhorreſcant? Cùm tamen potiùs ipſimet ob tam prauas ſuas, peruerſas & peſſimè fundatas machinationes, atque tam *Eccleſiæ Chriſti*, quàm *Regnis* mundi, tam *fidei Catholicæ* puritati, quàm *ſupremæ* Regum *poteſtati* iniurioſas adinuentiones, de *ſcandalo*, *temeritate*, *calumnia*, *Schiſmate*, *impoſtura*, & de *crimine falſi*, atque *Maieſtatis*, tam in *Eccleſiam*, quàm in *Regnum* læſæ (nam ſicut cuſor falſæ monetæ, proditor in Regnum, ita cuſor falſæ fidei Catholicæ in Eccleſiam proditor eſt) tum apud *Sedem Apoſtolicam*, tum apud *Principes Chriſtianos*, accuſari, condemnari, & pœnis condignis caſtigari iure optimo mereantur.

Ephes. 4.

11. Sed antequam præcipuas noſtrorum grauaminum cauſas magis particulatim aperiamus, vnam

inprimis

inprimis quæſtiunculam *Veſtræ Beatitudini* ab ea pro ſingulari veſtra prudentia ſeriò diſcutiendam commendare non a re alienum arbitramur, An ſcilicet *Sedes Apoſtolica*, aut alius quiſpiam tutò, prudenter, & abſque falſæ informationis periculo, *Patrum Ieſuitarũ*, quantumuis alioquin doctiſſimorum, dictis, ſcriptis, aut ſuggeſtionibus, in maximum tertiæ perſonæ, quæ contra ipſos ſentit præiudicium, ea non plenè audita, fidem indubiam adhibere queat, in cauſis præſertim ſeu queſtionibus, in quibus ipſimet partes ſunt, quæque in fauorem *Summi Pontificis* tendere videntur, (in quibus ſanè quæſtionibus proponendis & pertractandis, ex humana fragilitate, cui ſicut cæteri homines ſubiecti ſunt, vel ſtudio placendi, vel diſplicendi formidine, alteriuſve proprij ſui commodi aut incommodi intuitu, à veritate tum ſyncerè examinanda, tum ingenuè agnoſcenda facilè abduci poſſunt) quandoquidem nuperis experimentis iam ſatis exploratum ſit, quàm turpiter quidam ex iſtis Patribus errauerint, non ſolùm in cauſa Sacerdotum Anglorum, qui ab illis, eorumque fautoribus plurimùm oppreſſi, & tanquam *Schiſmatici, inobedientes, Sedi Apoſtolicæ rebelles, ſuiſq; facultatibus priuati* per maledicorum ora hîc in Anglia traducti ad *Sedem Apoſtolicam* appellârunt; à quibus tamen omnibus & ſingulis criminib⁹ *Clemens Octauus* fœliciſſimæ memoriæ Pontifex literis ſuis, per modum *Breuis* ad Magiſtrum *Georgium Blackuellum* tunc Archipresbyterum miſſis, cum non leui ipſius *D. Archipresbyteri* & *Patrum Ieſuitarum* qui ipſi à conſilijs erant, & præcipui tantorum contentionum, & calumniationum Authores putabantur, dedecore, eos planè liberos et immunes eſſe declarauit: Verùm

etiam

etiam in eo quòd nouam fidē Catholicam in materia de *auxilijs gratiæ*, quæ poteſtati Pontificis nec fauet, nec præiudicat, procudere tentauerint, et *Patres Dominicanos*, qui neque doctrina, nec pietate, neque erga *Sedem Apoſtolicam* zelo illis inferiores ſunt, fœda *Lutheraniſmi*, & *Caluiniſmi* nota aſpergere non erubuerint: Sicut etiam nunc *Widdringtono*, eiuſque doctrinæ adhærentibus, non ſolùm *Lutheraniſmi*, *Caluiniſmi*, temeritatis, ſcandali, & inobedientiæ notas inverere, verùm etiam (ad eum planè modum, quo cum *Sacerdotibus Appellantibus* proceſſerunt, & quod ſane intolerandum eſt) eos, ac ſi Ethnici, Publicani, aut palam criminoſi eſſent, à Sacramentis excludere, & ſi Sacerdotes ſint, ſuis etiam facultatibus priuatos eſſe vociferari non extimeſcant.

12. Atque hoc ipſum eſt (*Beatiſſime Pater*) quod planè inſolens, intolerandum, & maxima reprehenſione & caſtigatione dignum arbitramur, & de quo apud *Veſtram Beatitudinem* iam dolentiſſimè conquerimur, quòd ſcilicet *Patres* iſti incertas ſuas, & noſtro iudicio malè fundatas opiniones, tanquam certiſſimam fidei regulam nobis obtrudere ſtudeant, cæteroſque qui illis reſiſtunt, tanquam hæreticos, Pſeudo-Catholicos, aut alias criminoſos, & proinde Eccleſiaſtica communione indignos traducere, atque ita Eccleſiæ vnitatem diſrumpere, & contra charitatis & iuſtitiæ leges, Schiſma grauiſſimum, & capitales in Eccleſia diſcordias potiùs quàm eorum placita, quæ mordicꝰ tenent, impugnari permittent, concitare non vereantur. Nam opinentur *Patres* iſti, eorumque ſequaces, quantum velint, doctrinam ſuam, quam ſiue in hac, ſiue in illa materia tenent, eſſe veram, certam, Catholicam,

Catholicam, de fide tenendam, & contrariam Catholicorum falsam, erroneam, non tam *sententiam* quàm *hæresim*, atque vel *Lutheranismum*, vel *Caluinismum* sapere, nihil morabimur, neque ea de re cum illis tumultuosè & proteruè disceptabimus, aut eorum conscientias de crimine aliquo, ob quod à Sacramentis Ecclesiæ percipiendis arcendi sint, propterea accusabimus, sed eos in sua sententia persistere ob pacis Ecclesiasticæ bonum æquo animo sustinebimus, dummodo intra opinionis cancellos sese contineant, neque iustitiæ aut charitatis Christianæ fines excedant, aliosque Catholicos, qui contrà opinantur, tanquam criminosos, & propterea Sacramentorum perceptione indignos non traducant, sed quemlibet in suo sensu abundare liberè permittant, sicut in quæstione *de auxilijs gratiæ* sese intra opinionis terminos continuerunt, neque alios qui contrà opinati sunt, à Sacramentorum perceptione tanquam sceleratos aut indignos excludere præsumpserunt. Veruntamen adeo sibimetipsis sapere, vt cæteros omnes, qui cum illis non sapiunt, desipere arbitrentur, & priuatum suum spiritum, incertasque suas opiniones, tanquam certissimam fidei regulam reliquis omnibus Catholicis eruditis, qui contrà opinantur, per vim obtrudere, eosque, qui cum illis in eadem sententia non conspirant, tanquam Pseudo-Catholicos, Ethnicos, aut Publicanos à Sacramentis excludere, & tanquam infames, sceleratos, cauteriatam conscientiam habentes, Ecclesiæ Romanæ hostes, & in reprobum sensum datos palam, aut in occulto calumniari, hoc sanè intolerandum, scandalosum, schismaticum, & præterquam quòd insignem arrogantiam, obstinationem, superbiam, &

nimiam priuati sui spiritus confidentiam sapiat, à fidei Catholicæ, & charitatis Christianæ regula planè alienum, atque hîc in Anglia, calamitoso Catholicorũ statu perpenso, nefarium, crudele, tyrannicũ esse, nos cum omni reuerentia & submissione debita loquentes arbitramur, & quivis mediocriter doctus, quique vel *Sacræ Theologiæ*, vel *Iuris Canonici* principia primoribus labris degustauit, clarissimè perspicere potest.

13. Sed non propterea *Vestram Beatitudinem*, aut alium quemuis imaginari velimus, nobis esse animum omnes in vniuersum *Patres Iesuitas*, (absit enim hoc à nobis) reprehendere, & tanquam reos, nostrisq; tam iniquis oppressionibus consentientes increpare, vllamve vel leuissimam *Reuerendo* admodùm Patri *Mutio Vitelleſco, Generali* eorum *Præposito*, reprehensionis notam inurere, quem virum valde pium, prudentem, doctum, syncerum, pacisque Ecclesiasticæ & charitatis fraternæ inter omnes conseruandæ studiosum semper reputauimus: Neque enim quisquam (quod scimus) ex eius Societate Theologus à tempore quo ipse illius administrationem suscepit, doctrinam hanc de potestate Papali Principes abdicandi, tanquam de fide Catholica ab omnibus necessariò credendam, & contrariam tanquam hæreticam, erroneam, aut temerariam condemnandam scriptis publicis proprio suo nomine propugnare ausus est; quinimmo *Martinus Becanus*, qui antea *nihil esse apud Catholicos certius* affirmare non est veritus, [n] eam nunc tantùm esse *difficultatem certitudini* oppositam verbis disertis asserit, [o] quod sanè singulari præsertim prædicti Patris *Mutij Vitelleſci* prudentiæ, charitati, doctrinæ, & synceritati tribuendum esse censemus.

[n] *in Controuersia Anglicana cap. 2. q. 3.*
[o] *in Tractatu de fide, cap. 15. q. 4.*

14. Et

14. Et tametsi quidam ex Patribus *Iesuitis* hîc in Anglia, & nonnulli alij tam Religiosi, quàm Seculares Presbyteri, eorum assectatores (quorum præcipuos, breuî, nisi ab iniquis suis calumniationibus quamprimùm desistant, apud *Vestram Beatitudinem* nominatim accusabimus) eò audaciæ & temeritatis pernicioſæ processerint, vt *Widdringtonum*, cæterosque eius doctrinæ adhærentes, tanquam à fide Apostatas, Sedi Apostolicæ rebelles, Ecclesiastica communione indignos, &, si Presbyteri sint, omni Iurisdictione Sacerdotali priuatos, eo quòd *declaratiua* Vestri Predecessoris *Breuia* in falsis informationibus & suppositionibus, quæque in Francia tanquam seditioſæ sub pœna læsæ Maiestatis condemnatæ sunt, præcipuè fundata, cum tanto ipsorum, *Regisq;* nostri *Serenissimi* præiudicio non admittenda esse arbitrentur, maledictis insectari, atque ita corporis Ecclesiæ Anglicanę vnitatem dissoluere non solùm non pertimescant, (quantumvis *Widdringtonus* pluribus *Supplicationibus* publicè excusis quamplurimas rationes, quibus adhuc satisfactum non est, *Summo Pontifici* humiliter proposuerit, ob quas Angli Catholici prædicta *Breuia* iniusta esse, & in falsis suppositionibus fundata, nec proinde ab illis recipienda existiment, seque in omnibus *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ* iudicio syncerè submiserit) verùm etiam quod magis mirandum, & maximè dolendum est, palam affirmare & prædicare non reformident, minùs graue, & magis tolerandum crimen esse, templa *Protestantium* adire, & cum illis in sacris ritibus communicare, quàm Iuramentum fidelitatis ad coniurationis puluerariæ proditores, eosque Catholicos, qui eorum principijs adhærent, detegendos

ac reprimendos de industria excogitatum susscipere; quæ eorum doctrina, quàm scandalosa sit *Ecclesiæ Romanæ*, & *Principibus Christianis*, qui præsertim fidem *Catholicam Romanam* non amplectuntur, periculosa, vtpote eos Catholicos qui Iuramento fauent, ad templa *Protestantium* adeunda, & fidem *Catholicã Romanã* exterius abnegandã alliciens, eosque, qui illud illicitũ esse, ac multa continere quæ fidei & saluti repugnant, sibi firmiter persuadent, ad Regicidia, nouasque Coniurationes pluuerarias sub specie zeli excogitandas, & quando opportunitas aderit, etiam exequutioni mandandas invitans, *Vestræ Beatitudinis* prudentię, charitati, ac iustitiæ discutiendum relinquimus. Attamen certissimè nobis persuademus, prædictũ Patrem *Mutium Vitelleschum* huiusmodi pernicioſis dogmatibus, & tam eruditioni solidæ, quàm prudentiæ, & charitati Christianæ dissentaneis, quæ fratres eius hîc in Anglia, & quidam alij vel eorum emissarij, vel eorum potentiam & calumnias formidantes, cum maximo scandalo diseminant, & in plebis imperitæ ac præcipitis aures insusurrant, nullatenus assentiri, sed eorum omnino inscium esse, & quamprimùm istorum notitia ad aures eius peruenerit, eum, pro eximia eius prudentia, charitate, & doctrina remedium opportunum confestim adhibiturum, neque fratres suos hîc in Anglia tam pernicioſa dogmata in vulgus spargere deinceps permissurum.

15. Iam vt potissimas grauaminum, quibus nos, cæterique Catholici doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes a *Patribus* præsertim *Iesuitis*, eorumque assectis iniustè opprimimur, causas paucis perstringamus, *Duæ* sunt (*Beatissime Pater*) controuersiæ principales his

nostris

noſtris temporib' ab eruditis Catholicis hinc illincq; agitatæ, quæque ſcandaloſis hiſce contentionibus & calumniationibus initium dederunt, & non exiguam etiam eiſdem nunc acceſſionem faciunt. *Vna* eſt de poteſtate Papali Principes ſupremos deponendi, atq; de rebus omnibus temporalibus, & conſequenter de Coronis & Capitibus Regum in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi, An ſcilicet ſit res de fide certa, & ſub hæreſeωs, alteriuſve criminis mortiferi pœna ab omnibus fidelibus neceſſariò credenda, quòd Chriſtus Dominus talem deponendi & diſponendi poteſtatem Summo Pontifici conceſſerit. *Altera* controuerſia, quæ ex priori maxima ex parte, vt infra monſtrabitur, dependet, eſt de prædicto fidelitatis Iuramento, An ſcilicet aliquid in ſe contineat necne, quod fidei aut ſaluti ſi non apertè & expreſsè, ſaltem tacitè & per neceſſariam conſequentiam, aduerſetur.

16. Quod ad *primam* controuerſiam attinet, ſatis conſtat, *Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum* nouæ & ſcandaloſæ huius doctrinæ de poteſtate Papali Principes deponendi tanquam *fide Catholica* ab omnibus certiſſimè credenda, & de contraria tanquam *hæretica* condemnanda, præcipuum præ cæteris Authorem, fautorem & propugnatorem extitiſſe. Nam tametſi in *prima* eius Controuerſiarum editione anno Domini 1586. *Ingolſtadij* impreſſa cuivis Catholico abſq; vlla hæreſeωs nota, vt quid de hac poteſtate ſentire vellet, integrum relinquere videatur, in *ſecunda* tamen earum editione anno 1603. *Venetijs* excuſa intrepidè aſſerit, [c] *non tam ſententiam, quàm hæreſim eſſe, quæ docet, Pontificem vt Pontificem, & ex iure diuino nedum poſſe Principes Seculares Regnis & Principatu priuare, etiamſi illi priuari alioqui*

[c] *Lib. 5. de Rom. Pont. c. 1.*

alioqui mereantur, cùm tamen in priori editione vocabulum illud [*hæreſis*] pænitus prætermiſerit, idque meritò, cùm doctrina illa neque in vllo *Concilio* generali, aut etiam Prouinciali, & quod magis mirum, & notandum eſt, neque in vlla Summorum Pontificum *Bulla*, *Breui*, aut *Decreto* condemnata fuerit, neque inter errores *Caluini*, *Lutheri*, *Marſilij Patauini*, aut alterius cuiuſcunque ante *Bellarmini* tempora à Scriptoribus, qui hæreticos eorumque errores annotarunt, veluti *Caſtro*, *Patreolo*, *Sandero*, neque etiam ab ipſomet Cardinali *Bellarmino* in ſua Chronologia, vbi præcipuos *Marſilij*, *Lutheri*, & *Caluini* errores recenſet, annumeretur. Quam eius *nouam fidem* tum ipſemet poſtea in tractatu ſuo contra *Barclaium*, & in ſuo *Schulckenio* contra *Widdringtonum*, tum nonnulli primarij ex eius Societate Ieſu Theologi (quos[f] infrà referemus) eius veſtigia ſequuti, confirmare, ſed fruſtra conantur.

[f] cap. 31.

17. Sed contra fidem hanc nouam, ſcandaloſam, ſupremis Principibus iniurioſam, eorumque Capitibus periculoſam, & antiquis Patribus incognitam, ac proinde non *verè Catholicam*, vtpote non ſemper, vbique, & ab omnibus traditam, ſed abſque ſufficienti fundamento, & præter fidei Catholicæ regulam imprudenter admodum, ac intempeſtiuè, hoc præſertim ſeculo turbulento, à quibuſdam recentioribus Theologis adinuentam, & contra præcipuos etiam nouæ huius fidei Authores & defenſores, fortiter & fœliciſſimè decertarunt celeberrimus *Pariſienſis Senatus* Edictis & Arreſtis, quorum aliqua ad finem *Strenæ Catholicæ* videre licet, & argumentis ac ſcriptis publicis *Guglielmus*, ac *Ioannes Barclaius*, ſed præ cæteris *Rogerus Widdringtonus* Anglus Catholicus, qui vniuerſa argumenta

menta a *Card. Bellarmino, Francisco Suarez*, cæterisque Societatis Iesu Theologis ad nouam hanc suam fidem Catholicam corroborandam allata adeo perspicuè profligauit, vt ipsi quantumuis alioquin doctissimi iam nouæ suæ fidei propugnandæ quasi pertæsi terga vertere, ipsumque post tot certamina in aperta acie tanquam victorem relinquere, pugnamq; redintegrare, & prædictam suam fidem argumentis & scriptis publicis vlteriùs confirmare, ne deinceps magis infirma, & planè nulla, vti reuera est, omnibus appareat, pertimescere videantur.

18. Et quamuis non expediat in hac breui & compendiaria nostrorum grauaminum expostulatione, vniuersa argumenta & responsa, quæ à *Widdringtono* ad nouam, falsamque hanc fidem Catholicam euertendam allata sunt, in medium proferre, vt tamen *Sanctitas Vestra* ex paucis quæ referemus, perspicuè pro singulari vestra prudentia colligere possit, magnã fuisse semper de hac potestate Principes abdicandi inter Catholicos controuersiam, & doctrinam à plurimis hucvsque approbatam, & consequenter *verè probabilem*, quòd *Christus* Dominus talem potestatem *Summo Pontifici* non concesserit, quædam tantùm testimonia ex probatissimis Authoribus, qui vel nostris temporibus, vel vix centum abhinc annis floruerunt, producemus, quæ apertissimè confirmant, doctrinam illam, quæ talem potestatem *Summo Pontifici* negat, esse apud Catholicos ad hæc vsque tempora controuersam, & contrariam à nonnullis tanquã seditiosam, & Principũ Coronis & Capitib⁹ periculosam sub pœna læsæ Maiestatis condemnatam, à *plærisq;* Doctoribus Catholicis approbatã, & ex consequenti iuxta definitionem

tionem *probabilis*, quam *Aristoteles*, cæterique omnes Philosophi, & Theologi admittunt, esse *verè probabilem*, et proinde doctrinam contrariam non esse de fide certam, aut ab omnibus Christi fidelibus sub pœna hæresis, aut æternæ damnationis necessariò credendã.

19. *Primum* testimonium est *Ioannis Trithemij* Abbatis Spanchemensis Ordinis *S. Benedicti*, (*vir vndique doctissimus*, vti etiam eius scripta testantur, à *Paulo Langio* nuncupatus) qui in Chronico Monasterij *Hirsaugiensis*, [g] factum *Gregorij* Papæ VII. *Henricum* Imperatorem deponentis recensens, ita scribit: *De hac re certant Scholastici, & adhuc sub Iudice lis est, vtrùm Papa Imperatorem possit deponere; quam quæstionem cùm ad nos non pertineat, indiscussam relinquamus.* Quam autem inscitè, et corruptè Card. *Bellarminus* in suo *Schulckenio* pag. 127. vocabulũ illud [*Scholastici*] exponat, nempe pro Historicis, vt *Sigeberto*, Grammaticis, vt *Laurentio Valla*, Poetis, vt *Dante*, cùm tamen tres isti præclari etiam Theologi fuerint, *Widdringtonus* [h] manifestè commonstrat.

20. *Secundum* testimonium est *Iacobi Almaini* [i] Parisiensis Theologi, et inter Doctores Classicos à *Ioanne Azorio* [k] Iesuita relati, qui in opusculo, vbi propriam suã sententiam refert, et non *Occami*, alteriusve Theologi scripta exponit, ita ait: *De ratione potestatis Laicæ est posse pœnam ciuilem infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. sed nullam talem pœnam ex institutione diuina infligere potest potestas Ecclesiastica, immo nec incarcerare, vt plerisq; Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, vtputa Excommunicationem, reliquæ autem pœnæ quibus vtitur, ex iure positiuo*, id est, vt loquitur [l] *Gerson*, ex concessione Principum, *sunt*. Quid clarius

contra

[g] *ad annum 1106.*

Notentur illa verba [*& adhuc, id est, hucvsque, hoc tempore, sub Iudice lis est.*]

[h] *in Confutat. Th. Fitzherberti part. 1. cap. 1.*

[i] *in Tract. de dominio nat. civ. & eccles. in probat. secundæ conclusionis.*

[k] *Tom. 1. Instit. moral. lib. 2. cap. 14.*

[l] *De potest. Eccles. consider. 4.*

contra nouam hanc fidem Catholicam de potestate Papali seu Ecclesiastica Principes deponendi, eosve suis Regnis, Dominijs, aut bonis temporalibus priuandi dici posset?

21. *Tertium* testimonium est *Petri Pithœi*, quem *Antonius Possevinus* [m] celebris Iesuita *virum valde eruditum, & antiquitatis sedulum perquisitorem* appellat, qui disertè asserit, [n] *Franciam semper hanc maximam vti certam tenuisse, quòd Papa Regem Franciæ regno priuare non possit, & non obstantibus quibuscunque monitionibus, Excommunicationibus, vel Interdictis, quæ à Papa ferri possunt, Subditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præstare teneantur, neq; in ea per Papam dispensari, aut absolui queant.* Illam autem Doctoris *Schulckenij* [o] ad hoc testimonium Replicationem, nempe, *neq; se librum illum* Pithœi *vnquam vidisse, neq;* Possevinum *vllam illius mentionem fecisse*, miserum profectò, ne dicamus, puerile, effugium esse quis non videt? cùm *Widdringtonus* & librum illum vidisse testetur, & quo in loco, quo anno, qua authoritate, nempe *Parisijs* anno Domini 1594. authoritate *Senatus* in lucem prodierit, recenseat, eiusque verba fideliter referat, istamque *Schulckenij* responsionem in *Confutatione* Replicationis *Thomæ Fitzherberti* [p] copiosiùs refellat. Atque hoc ipsum, quod *Pithœus* asserit, plura *Parliamenti Parisiensis* Arresta, libros Card. *Bellarmini*, *Francisci Suarez*, & aliorum sub pœna *læsæ Maiestatis* proscribentia, & eandem *Pithœi* maximam fuisse *semper in Francia sustentatam, & cum Corona congenitam* affirmantia, perspicuè confirmant.

[m] *In verbo* Petrus Pithœus.

[n] *In Codice libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.*

[o] *Pag. 124.*

[p] *Part. 1. cap. 6.*

22. *Quartum* testimonium est *Ioannis Azorij* celeberrimi Societatis Iesu Theologi, qui verbis etiam expressis asserit, *magnam fuisse semper inter Imperatores,*

Azor. tom. 2. Institut. moral. lib. 11. cap. 5. q. 8.

Regeſque ex vna parte, & ex altera inter Romanos Pontifices controuerſiam, an in certis cauſis ſit ius & poteſtas Summo Pontifici priuandi Reges Regno ſuo. Quinetiam alter eruditus Societatis Ieſu Theologus, nempe *Ioannes Hartus* Anglus in *Epiſtola* ſua ad *Lectorem indifferentem de concertatione literaria inter ipſum, & Ioannem Rainaldum* Proteſtantem Theologum in *Turri Londinenſi* habita ita ſcribit: *Quod attinet ad illud, quod* D. Rainald⁹ *quodã in loco aſſerit, me illi dixiſſe, quòd iuxta meam ſententiam Papa Principes deponere non poſſit, verum eſt, me illi hoc dixiſſe. Et reuera exiſtimo, quòd tametſi poteſtas ſpiritualis nobilitate & dignitate ſpirituali antecellat, vtraque tamen à Deo ſit, neque vna ab altera dependeat. Vnde tanquam concluſionem certam colligo, quòd opinio eorum, qui tenent, Papam eſſe temporalem ſupra Reges & Principes Dominum, irrationabilis, & omnino improbabilis ſit. Non enim ſui muneris eſt contra eos ciuiliter procedere, multò minùs eos deponere, aut regna ſua alijs donare; hoc nulla ex parte ad eius Iuriſdictionem ſpectat. Habet quidem meâ ſententiâ Eccleſiæ Paternitatem, non mundi Principatum, ipſomet* Chriſto Domino *talem titulum*, ſeu ius, *nec ſibi aſſumente, neque* S. Petro, *vel cuiquam ex diſcipulis tribuente. Atque hoc tantum & non alium Principatum in eo defendere mihi inſtitutum erat.*

23. *Quintum* denique teſtimonium eſt Illuſtriſsimi *Cardinalis Peroni*, viri vndique doctiſsimi, qui expreſsè aſſerit, tum [9] *ipſummet Dominum Papam ob pacis Eccleſiaſticæ bonum tolerare eos Gallofrancos* (non eo modo, quo meretrices, fœneratores, & palam criminoſi nonnunquam tolerantur, ſed ad Eccleſiaſtica Sacramenta percipienda admittendos permittere) *qui doctrinam ſibi in hac parte*, de poteſtate ſcilicet Papali Principes deponendi,

[9] *En Harangue au tiers Eſtat. pag. 98.*

deponendi, *repugnantem tuentur*; tum[r] *disputationem hanc*, seu controuersiam, *de potestate Summi Pontificis indirectè in temporalibus non debere revnionem eorum qui Ecclesiæ reconciliari desiderant, impedire*, & proinde neque iustam & legitimam eos, qui in Ecclesia sunt, ab Ecclesiastica communione excludendi causam præbere posse. Plurima alia tum Theologorum, tum Iurisprudentium testimonia, quæ hoc loco recensere nimis longum esset, ad nouam hanc fidem Catholicam euertendam à *Widdringtono*[t] producuntur, sed inter cætera vnanimis antiquorum Patrum consensus quàm maximè expendendus est, qui verbis disertis asserunt, [u] *Principes* supremos *esse à Deo secundos, solo Deo*, scilicet quoad temporalia, *minores*, & *si peccauerint*, à Deo solo, pœnis videlicet temporalibus, *castigandos*; atque illa Christi Domini verba, *Tibi dabo claues, Quodcunq; ligaueris, & solueris* &c. de clauibus regni cœlestis, non terreni, atque de vinculis, ligationibus, & solutionibus spiritualibus, vtputa peccatorum, & non de temporalibus intelligenda esse, quod etiam Ecclesiæ primitiuæ, & veterum Sanctorum Patrum, ac Pontificum praxis euidenter confirmat.

[r] *In Replica cap. 91. pag. 633.*

[t] *In Apologia nu. 4. & in Confut. Tho. Fitzherb. part. 1.*

[u] *Quindecim ex his antiquis Patribus citantur à Widdringtono in detectione 17. calumniæ Adolphi Schulckenij.*

24. Atque ex hac manifestissima *veritate*, non esse scilicet de fide certum, sed apud Catholicos controuersum, et proinde ad summum quoad *speculationem* probabile, quòd Summus Pontifex Principes supremos deponendi, et ex Christi institutione pœnas temporales infligendi (non dicimus imponendi aut præcipiendi, hanc enim *Widdringtonus* Summo Pontifici non negat) potestatem habeat, alia *veritas* (*Pater Beatissime*) non minùs certa et manifesta ad *praxim* pertinens, etiam iuxta Aduersariorum doctrinam, euidentissimè

tiſſimè deducitur; non poſſe ſcilicet Summum Pontificem, ſtante hac controuerſia, abſque *aperta iniuſtitia* Principes ſeculares per ſuam ſententiam deponere, neque licitum eſſe ſubditis abſque *læſæ Maieſtatis crimine* eiuſmodi depoſitionum ſententijs obedire, quandoquidem poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, non poteſt eſſe legitimum & ſufficiens fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, aut aliquo ſuo iure, dominio, vel Regno, quod poſſidet, ſpolietur. Nam vt expreſsè aſſerit *Leonardus Leſſius* inſignis Societatis Ieſu Theologus, *Poteſt quidem poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, eſſe fundamentum alicuius diſpenſationis in aliquo impedimento, vel conceſſionis in Sacramentis adminiſtrandis, quia inde nihil incommodi, cùm agatur de fauore & beneficio, & nemo cogatur, nemo iure propinquo, ſeu in re obtento ſpolietur. Non tamen poteſt eſſe fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac dominio priuetur, & generales canones pœnales ſtatuantur &c. Sed talis poteſtas certiſsimè, non dubiè debet competere. Nullus enim Iudex poteſt irrogare pœnas adeo graues aut condere decreta, quibus irrogentur, niſi conſtet illi talem poteſtatem conceſſam. Si enim illud vllo modo eſſet dubium, poſſet reus excipere, & ei non parere. Hinc neque delegatis creditur in alicuius præiudicium, niſi authentico inſtrumento oſtendant ſuam poteſtatem, ita vt nulla amplius relinquatur iuſta dubitandi ratio.*

Leſſius in ſuo Singletono de Diſcuſſione decreti magni Concilij Lateranenſis pag. 71, 72.

25. Atque hoc veriſſimum *Leſsij* pronunciatum, tum communi Theologorum, quorum aliqui in *Strena Catholica* [u] citantur, ſententiæ, tum manifeſto rationis naturalis lumini, tum notiſſimis illis *Iuris* vtriuſque regulis, *In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, & *Cùm ſunt partium iura obſcura faciendũ eſt reo potiùs quàm actori*, quàm maximè conſonum eſt, tum alius etiam

[u] *In Præludio quinto nu. 12.*

Widdringtoni

Widdringtoni Aduersarius, *Matthæus Kellinsonus* Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor, & *Collegij Anglicani* Clericorum Secularium Duaci *Præses*, sub nomine I. E. Theologiæ studiosi personatus, idipsum verbis etiam disertis confirmat[x]. Ex prædictis autem duobus verissimis pronunciatis manifestè concluditur, *primò*, potestatem, quæ non omnino certa est, sed duntaxat probabilis, non esse veram, realem, propriam, sufficientem, & legitimam deponendi, aut puniendi potestatem; & proinde nullam verã, realem, propriam, sufficientem, & legitimam Principes supremos deponendi, aut pœnas temporales infligendi potestatem Summo Pontifici, quâ Pontifex est, & ex lege Christi competere, sed tantùm imaginariam, impropriam, insufficientẽ, illegitimam, & ex consequenti quamdiu incerta & probabilis tantùm est, quod ad praxim attinet, planè nullam, vtpote, vt rectè infert idem Doctor *Kellinsonus*, nunquam à Papa *absq; aperta iniustitia*, & proinde neque à subditis absque *aperta perduellione* executioni mandandam: *Secundò*, falsis suppositionibus, & fundamentis nixos esse tam Illustrissimos Cardinales ad Indicem deputatos, si libros *Widdringtoni* ea de causa suis Decretis damnauerint, & damnandos esse declarauerint, propterea quòd noua hæc & falsa Cardinalis *Bellarmini*, eiusque sequacium fides Catholica de potestate Papali Principes supremos deponendi ab omnibus Christi fidelibus necessariò credenda in illis impugnetur, quàm *Vestræ Sanctitatis* Prædecessorem *Paulum* V. Pontificem Maximum, si Iuramentum fidelitatis, tanquam multa continens, quæ fidei & saluti apertè aduersantur, ea de causa illicitum esse suis *Brevibus* declarauerit, propterea quòd omnis potestas

[x] *In Tractatu de Eccle. & Reg. potest. cap. 11. pag. 235.*

Summi Pontificis ſcilicet vera, realis, propria, ſufficiens, & legitima, Regem noſtrum Sereniſſimum, aut alios quoſcunque Principes ſupremos, & Summo Pontifici in temporalibus non ſubiectos, deponendi, eorumve ſubditos à temporali fidelitate abſoluendi in eo Iuramento abnegetur. Atque hæc pauca in præſenti de *prima controuerſia* principali inſinuaſſe ſufficiat.

26. Quod ad *alteram controuerſiam* principalem de nouo fidelitatis Iuramento ſpectat, notum inprimis eſt (*Beatiſſime Pater*) vti *Widdringtonus* in detectione duodecimæ calumniæ *D. Schulckenij* copioſiùs monſtrauit, *P. Henricum Garnettum*, tunc Ieſuitarum in Anglia commorantium Prouincialem, (vt alios Ieſuitas nunc taceamus) deteſtandæ illius, & planè diabolicæ *Coniurationis Pulueriæ* notitiam ſaltem in genere extra Confeſſionem Sacramentalem habuiſſe, illique generatim conſcium fuiſſe, idque ipſum eundem *P. Garnettum* in ipſo mortis articulo, coram infinita hominum multitudine & ingenuè confeſſum eſſe, & veniam à *Regia Maieſtate* precatum, *quòd in Regem peccauerit, & conſcius illud reticuerit, & præuertere neglexerit*, quicquid *Patres Ieſuitæ*, vel *Sedi Apoſtolicæ*, vel Illuſtriſſimis Dominis *Cardinalibus*, vel alijs quibuſcunque in contrarium ſuggerere, immo & ſcriptis publicis pervulgare, non dubitauerint. Quod propterea *Veſtræ Beatitudini* inpræſentiarum inſinuare voluimus, partim vt prudentia veſtra pleniùs perſpiciat, quantula fides Patrum Ieſuitarum, eorumque fautorum informationibus, in tertiæ perſonæ, præſertim non plenè auditæ, præiudicium, adhibenda ſit, quandoquidem & ſuos, quantumcunque criminoſi noſcantur, ſeque

peccaſſe,

peccasse, & propterea *mortis sententiam in eos iustissimè pronunciatam esse* fateantur, non solùm innocentes, sed & Martyres prædicare, & in Martyrum Calendario etiam typis excuso collocare non verentur; aliosque sibi aduersantes, quantumcunque se Catholicos, nulliusque criminis reos palam profiteantur, seque in omnibus *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ* iudicio humiliter submittant, & rationes factorum & assertionum suarum supremo animarum Pastori (eum, vt pro munere suo Pastorali illis satisfacere dignetur, obsecrantes,) modestè ac reuerenter proponant, nihilominùs tanquam *hæreticos, Pseudo-Catholicos, Schismaticos, Sedi Apostolicæ rebelles, Ecclesiastica communione indignos*, & *Sacerdotali Iurisdictione priuatos* traducere, & calumniari non pertimescunt: Et partim vt *Sanctitas Vestra* intelligat, tum proditores illos Sulphureos, qui omnes Romano-Catholici erant, & conscientias suas Patrum Iesuitarum, eorumve fautorum directioni concreditas habebant, in noua hac, falsaque *fide Catholica*, de potestate Papali Principes deponendi, & de eorum Coronis & Capitibus in ordine ad bonum spirituale disponendi, falsam fictamque barbaræ & inauditæ suæ *Coniurationis* iustitiam potissimùm fundasse, & palliare conatos esse, tum *Coniurationem* illam adeo insolitam, nouo huic & insolito fidelitatis *Iuramento* à *Rege, Regnique Ordinibus* excogitando causam dedisse, eo duntaxat fine, vt subditos fideles, præsertim *Romano-Catholicos*, quos *Papistas* vocant, non à *Protestantibus*, sed à *perfidis proditoribus*, cæterisque *Romano-Catholicis*, qui impijs *Conjurationis* sulphureæ principijs adhæresunt, facilius internoscerent, & cognitos reprimerent.

27. *Secundò*, satis etiam notum est, quòd simulac

lex

lex iſta de *Iuramento* præſtando promulgata erat, *D. Georgius Blackuellus* tunc *Archipresbyter*, diligenti et matura, vti ipſe exiſtimabat, de ſingulis *Iuramenti* clauſulis diſquiſitione prę habita, illud licitum eſſe, et iuxta verba legis, et mentem Legiſlatoris ab Anglis Catholicis tutâ conſcientiâ ſuſcipi poſſe iudicauerit, atque in hunc finem literas ſuas ad Sacerdotes ſibi aſſiſtentes, quò cæteris Catholicis hanc ſuam de *Iuramento* ſententiam patefacerent, illico tranſmiſerit. Huic autem Domini *Archipresbyteri* ſententiæ quidam Sacerdotes doctiſſimi mordicus adhærebant: quidam, præſertim ex Patribus Ieſuitis, eorumque aſſectatoribus, vel planè repugnabant, vel in contrariam ſententiam propendebant: Alij (è quorum numero ego *Thomas Preſtonus* vnus eram) rationes et fundamenta, quibus nixus *Dominus Archipresbyter* Iuramentum iſtud licitum eſſe arbitratus eſt omnino improbabant, quandoquidem non ipſam Summi Pontificis Regē deponendi poteſtatem, et authoritatem, ſed praxim tantùm, et exequutionem eiuſmodi poteſtatis, rebus ſic ſtantibus, inficiari illi tunc temporis inſtitutum erat, (quantumvis poſtea tam praxim, quàm ipſam deponendi poteſtatem penitus improbauerit) cùm tamen mihi tunc manifeſtiſſimum eſſet, non poſſe *Iuramentū* iuxta verborum proprietatem, et Legiſlatoris mentem, tanquam licitum à quoquam defendi, niſi et *praxim ipſam*, et quamcunque *veram, realem, propriam, ſufficientē*, et *legitimam* Regem deponendi *poteſtatem* Summo Pontifici conceſſam denegare voluerit. Inter has tamen opinionum varietates nemo prorſus ſiue ex Patribus Ieſuitis, ſiue ex Presbyteris Secularibus, vel Regularibus, (quantum ſcire potuimus) eo audaciæ et

temeritatis

temeritatis processit, vt vel Dominum Archipresbyterum, cæteroſque eius ſententiæ adhærentes, vel eos Catholicos, qui tanta authoritate freti, aut Iuramentũ ſuſceperunt, aut licitè ſuſcipi poſſe exiſtimarunt, de *hæreſi, errore, temeritate*, aliove *crimine mortifero* condemnandos, & à communione Eccleſiaſtica, ac Sacramentorum perceptione, tanquam indignos, arcendos eſſe affirmare tunc auſus eſſet.

28. Sed fœlix hæc, & Laicis præſertim Catholicis vtiliſſima prædictorum omnium Sacerdotum in vnam ſententiam de licita Iuramenti ſuſceptione, quod ad *praxim* attinet, conſpiratio non multo pòſt tempore perdurauit. Nam quidam ex Patribus Ieſuitis, & præ cæteris eorum Prouincialis, qui *Patri Garnetto* proximè ſucceſſit, & iam etiam in viuis eſt, (an forſan verentes, ne *noua* eorum *fides Catholica*, de poteſtate Papali Principes deponendi, in eorum potiſſimùm officina recèns cuſa & formata ex hoc Iuramento penitus in Anglia concideret, an vt maiorem *Romani Pontificis*, in cuius fauorem *nouam* hanc *fidem* excogitarunt, præ cæteris Catholicis, Sacerdotibus, & Religioſis, qui tali fidei, vtpote non *verè Catholicæ*, nec ſufficienter fundatæ, non adhuc acquieſcunt, gratiam ſibi conciliarent, vel quo alio fine, Deo, & eorum conſcientijs iudicandum relinquimus) prædictam concordiam, & conſenſionem indignè ferentes, eam breuî ſe diſrupturos, & mandatum à *Summo Pontifice* contra licitam Iuramenti ſuſceptionem impetraturos, verbis minacibus palam affirmabant. Qui minaces eorum ſermones, quamprimùm ad mei, nempe *Thomæ Preſtoni* notitiam peruenerunt, idem ego *Thomas Preſtonus*, tunc Religioſorum *Caſſinenſium* in Anglia

Superior, pacis & vnitatis Eccleſiaſticæ atque etiam ciuilis conſeruandæ cupidus, & præſentiens, quantæ perturbationes, diſcordiæ, ac diſſenſiones, non ſolùm inter ipſos Catholicos, verùm etiam inter Regem noſtrum Sereniſſimum, Regnique Ordines, & inter ſubditos eius Catholicos ex *tali mandato* hîc in Anglia prouenirent, ſtatim per literas Romam miſi ad *D. Nicolaum Fitzherbertũ* nationis noſtræ Anglicanæ Catholicum, qui tunc Romæ degebat, ipſum de toto hoc negotio certiorem reddens, atque inſtantiſſimè deprecans, vt pro communi Catholicorum Anglorum commodo, & *Apoſtolicæ* etiam *Sedis* honore, quibuſcunque poterat medijs ac vijs, etiam *Illuſtriſſimorum Cardinalium* opem implorando, *Suæ Sanctitatis* animum à *tali mandato* huc mittendo dimoueret; hancque obſecrationis meæ rationem aſſignaui, quòd Dominus Archipresbyter, eiuſque ſententiæ adhærentes, non *ipſam* Summi Pontificis *poteſtatem* Principes deponendi, ſed illius tantùm *praxim*, rebus ſic ſtantibus, abnegare adhuc in animo habuerint. Attamen ſi *Sanctitas Sua*, calamitoſo hoc tempore, & poſt tam *execrandam* Catholicorum contra *Regem*, totumque *Regnum*, ſub prætextu poteſtatis Pontificiæ de Coronis & Capitibus Principum diſponendi, Coniurationem recèns detectam, tale mandatum huc tranſmitteret, pro certo intelligeret, idque *mihi*, vtpote de mentibus quorundam Iuramento fauentium optimè conſcio, planè indubitatum eſſe affirmaui, quòd non *praxis* tantummodò, ſed ipſa etiam *poteſtas* & authoritas Pontificia tam in temporalibus, nempe Principes deponendi, &c. quàm in ſpiritualibus, ſcilicet res fidei abſque Concilio generali infallibiliter definiendi, magis nunc

&

& vehementiùs, quàm vnquam antea ab eruditis Catholicis in quæstionem adduceretur: Quod ex parte verum esse, quoad *potestatem* scilicet Principes deponendi, rei euentus comprobauit, & nisi pacificus scandalosis hisce calumniationibus, & virorum innocentium oppressionibus finis quamprimùm *vestra authoritate* imponatur, ex toto verissimum fore, quoad potestatem etiam res fidei certò definiendi, proculdubio confirmabit.

29. Veruntamen hæc mea humilis, syncera, & erga Sedem Apostolicam, Regiamque Maiestatem pietate ac zelo plena postulatio, & prænonitio, nullum planè effectum sortita est. Nam Patres Iesuitæ, eorumque fautores intra pauculos menses à Iureiurando promulgato, partim siniſtris, & falsis eorum informationibus, *quòd* scilicet *potestas Summi Pontificis Regem excommunicandi in Iuramento abnegetur*, & *quòd potestas eius Principes deponendi sit res de fide certa, & ab omnibus necessariò credenda*, partim importunis sollicitationibus, & partim prægrandi *Card. Bellarmini*, illique in *Curia Romana* fauentium potentia, & authoritate præmuniti, *primum Breue Apostolicum* contra licitam Iuramenti susceptionem, datum decimo *Calendas Octobris* 1606. obtinuerunt, in quo Summus Pontifex disertè asserit, *ex ipsis Iuramenti verbis perspicuum esse debere Anglis Catholicis, quòd salua fide Catholica, & salute animarum præstari non possit, cùm multa contineat quæ fidei ac saluti apertè aduersantur.* Deinde vndecim pòst mensibus missum huc est *secundum Breue*, datum decimo *Calendas Septembris* 1607. in quo *Sanctitas Sua* primum confirmat, atque insuper ait, *illud non solùm ex proprio motu, & certa eius scientia, verum etiam pòst longam, & grauem deli-*

beratione de omnibus, quæ in illo continentur adhibitam, fuiſſe ſcriptum, & *ob id teneri Anglos Catholicos illud omnino obſeruare omni interpretatione ſecus ſuadente reiecta.* Quæ verba ſolùm ſignificant, *Breue* illud non fuiſſe ſurreptitium, aut temere & abſque maturo, & diligenti examine ſcriptum, ſed nihilominùs, non obſtante longa hac, & graui deliberatione, in *falſis informationibus*, aut *ſuppoſitionibus*, ſicut & librum *Card. Bellarmini* contra *Iuramentum*, non obſtante longa eius, & graui deliberatione in *falſis ſuppoſitionibus* fuiſſe fundatum *Widdringtonus* [y] euidenter demonſtrat. *Demùm* anno pòſt ſequenti *Calendis Februarij* 1608. datum eſt *tertium Breue*, in quo *Sanctitas Sua* Magiſtrum *Georgium Birkettum*, Archipreſbyterum Sacerdotum Anglorum Apoſtolicorum Seminariorum, in locum Magiſtri *Georgij Blackuelli ſubſtituit, illique iniungit, & mandat, ac ſpecialem facultatem ad hoc tribuit, vt authoritate ſua omnes, & ſingulos Sacerdotes Anglos, qui præfatum Iuramentum præſtiterunt, aut qui illud licitè præſtari poſſe docuerunt & docent, admonere curet, vt ab huiuſmodi errore reſipiſcant & abſtineant. Quod ſi intra tempus (extraiudicialiter tamen) arbitrio ſuo illis præfigendum hoc facere diſtulerint, illum, ſeu illos facultatibus, & priuilegijs omnibus ab Apoſtolica Sede, ſeu illius authoritate à quocunq; alio illis, vel cuiuis illorum conceſſis, eadem authoritate priuet & priuatos eſſe declaret.* Quis autem verus & genuinus horum verborum ſenſus ſit *Widdringtonus* [z] ſyncerè, & fideliter *exponit*, haſque literas tum in *primo Breui* fundatas eſſe, tum in illis Sacerdotibus, qui Iuramentuu præſtant aut præſtari poſſe docent, errorem & culpam ſupponere, atque ex veritate ac iuſtitia *primi Breuis* ex toto pendere euidenter conuincit.

[y] *In Confutat. Tho. Fitzherb. part. 3. cap. 17.*

[z] *In Diſp. Theol. cap. 10. ſec. 2 nu. 60. & ſeq.*

30. Sed

30. Sed cumprimùm Rex noſter Sereniſſimus, pro ſingulari eius prudentia, præuideret, quantas in toto ſuo Regno perturbationes, & quàm graues, non ſolùm inter ipſoſmet Catholicos, verùm etiam inter eius Maieſtatem, Regniq; Ordines, & inter Catholicos eius ſubditos diſcordias, & diſſentiones prædicta *Breuia* Iuramenti ſuſceptionẽ prohibentia excitatura eſſent (vti reuera iam ea excitaſſe lugubri admodùm experimento didicimus) placuit Regiæ eius Maieſtati, vt ipſemet primus omnium, pro debito ſui, Regniq; Ordinum honore, & communi Catholicorum illi ſubditorum ſalute, *duo prima* ex præfatis *Breuibus* (nam *tertium* tunc non extabat) quamprimùm refelleret, & pro *Iuramento fidelitatis* ab *Ipſo, Regniq; Ordinibus* in legem publicam ſancito, *Apologiam* conficeret: In qua quidẽ *Apologia primò*, de *imprudentia*, & *iniuſtitia* Summi Pontificis conqueritur, *Imprudentia eſt* (ait Sua Maieſtas) *me ſi reſpicias, quòd partitè, & minutatim Iuramentum non refutauerit, nec verbulum aut ſententiolam, quam ibi reprehendit, aliquo detexerit indicio. Id verò ſi feciſſet, pro paterna mea cura, quæ non ſinit, vt quenquam meorum ad extrema tentanda adigam, quæ duriuſculè ſonare videbantur, fortaſſe aut deleſſem planè aut benigna interpretatione molliora reddidiſſem: Iniuſtitia eſt Catholicorum ſuorum reſpectu, nam ſi mihi viſum fuiſſet in Iuramento quippiam vel mutare, vel interpretari, omni illico labore Pontificij leuati fuiſſent; Sin ſecus mihi conſtitiſſet, nihil ex Iuriſiurandi conditionibus remittere, prætextum ſaltem aliquem recuſandi illius Sacramenti inveniſſent, quaſi non obſequium, fidemq; debitam abnuentes, ſed anxijs religioſi animi ſcrupulis deterriti, in ea verba quæ notaviſſet Pontifex, iurare verererentur.* *Secundò*, in eadem Apologia tum literæ *Card. Bellarmini* refelluntur, in

quibus Magiſtrum *Georgium Blackuellum* tunc Archipresbyterum, eo quòd Iuramentum ſuſceperat, de *inconſtantia*, & *lapſu in fide*, per iniuriam accuſat, & *S. Petro* qui CHRISTVM negauit, *Sanctoq; Marcellino*, qui thus idolis immolauit, falſò aſſimilat, & *vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, ac Religionis Catholicæ fundamentis*, nempe *Primatum Papæ in ſpiritualibus ob Iuramentum iſtud in diſcrimen adduci*, immeritò, & abſque vlla prorſus probatione affirmat; tum generalia quædam, & firmiſſima principia, ac fundamenta in ea Apologia iaciuntur, (quod Suæ Maieſtatis inſtituto in tam breui opuſculo ſatis erat) ex quibus magis particulatim tam *Breuia* prædicta, tanquam in *falſis ſuppoſitionibus* fundata, impugnari, quàm ſingulæ etiam Iuramenti clauſulæ defendi facilè poſſint; quorum munitus præſidio *Widdringtonus* poſtea vtrumque præſtitit, atque ad particularia deſcendens, tum ſingulas Iuramenti clauſulas veritati & iuſtitiæ conſonas, tum literas etiam Summi Pontificis in *falſis informationibus*, & *ſuppoſitionibus* fundatas eſſe copioſiſſimè comprobauit.

31. Veruntamen cùm Patres Ieſuitæ, nouæque eorum fidei defenſores iam clariſſimè cernerent, *nouam ſuam fidem Catholicam* de poteſtate Summi Pontificis de Principum Coronis, ac Capitibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi (quam ſub ſpecioſo *Primatus Papæ in ſpiritualibus*, quem nemo Catholicorum negat, velo palliare ſtudent, quæque nefandiſſimæ illius Coniurationis puluerariæ radix & fundamentũ erat) ex prædicta Regis noſtri Sereniſſimi Apologia in extremum fere diſcrimen adduci; omnem ſuam operam, ſtudium, artem, eruditionem, ac potentiam adhibuerunt,

buerunt, vt *falsam* hanc eorum *fidem Catholicam*, Sanctisque Patribus incognitam, per fas & nefas propugnarent: Et proinde quamplurimos Theologos, omnium hac nostra ætate celeberrimos atque doctissimos, ex eorum præsertim Societate, & inprimis Illustrissimum *Cardinalem Bellarminum*, cæterorum Ducem ac Principem, deinde *Iacobum Gretzerum*, *Martinum Becanum*, *Leonardum Lessium*, & *Franciscum Suarez* (vt *Thomã Fitzherbertum*, nunc Iesuitam, sed tunc Presbyterum Secularem, & *Matthæum Kellinsonum*, qui Anglicè scripserunt, & quædam tantùm fragmenta ex prædictis excerpserunt, nunc prætereamus) quibus contradicere, pro ea qua præditi sunt eruditione, atque etiam Curiæ Romanæ potentia freti, nullus Catholicus (vti Patres illi existimabant) aut valeret, aut saltem auderet, præ cæteris selegerunt, qui Regis nostri Apologiam refutarent, prædicta Summi Pontificis Breuia confirmarent, et novum fidelitatis Iuramentum, in quo *noua* eorum *fides Catholica* abnegatur, omnibus vijs et artificijs impugnarent; suosque, quod peius est, emissarios incitarunt, qui eorum scriptis quàm maximè applauderent, eosque Catholicos, qui eorum doctrinæ aduersarentur, tanquam hæreticos, vel de hæresi suspectos, et Romanæ Ecclesiæ hostes, Sedique Apostolicæ rebelles, apud imperitum vulgus, *proh nefas*, traducerent.

32. Sed *magna est veritas, & prævalet* [a]; *occultari quidem ad tempus, vinci non potest* [b]. Nam, vt *Guglielmum*, et *Ioannem Barclaios*, cæterosque nostræ nationis Britannicæ, qui nouam hanc Patrum Iesuitarum fidem egregiè impugnarunt, nunc taceamus, vnus *Rogerus Widdringtonus* Anglus Catholicus, Dei Opt. Max. qui totius

[a] 3 Esdræ 4.

[b] S. Augustin. in Psalm. 61.

totius veritatis Author, et defenſor eſt, (quique *perdet*
c 1 Cor. 1. *ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabit* c,
& nonnunquam *quæ ſtulta ſunt mundi eligit, vt confun-*
d ibidem. *dat ſapientes, & infirma mundi vt confundat fortia*d) ſingu-
lari auxilio adiutus, omnia & ſingula eorum argu-
menta, quæ vel ex ſacris literis, vel ex Concilijs, illaque
maxima *Lateranenſi Synodo*, (de qua tantopere gloriari
ſolent) vel ex rationibus Theologicis, aut aliunde pe-
tita, ad *nouam* ſuam *fidem* corroborandam, & ad *novum*
fidelitatis *Iuramentum* impugnandum ab ipſis allata
ſunt, adeo clarè & manifeſtè refutauit, atque Illuſtriſ-
ſimorum Cardinalium Decretis quoſdam *Widdring-*
toni libros proſcribentibus, & *Breuibus* Summi Ponti-
ficis *Pauli* V. Prædeceſſoris veſtri Iuramenti ſuſcep-
tionem prohibentibus adeo perſpicuè ſatisfecit, atque
in *falſis informationibus*, & *ſuppoſitionibus* fundata eſſe
euidentiſſimè commonſtrauit, vt omnes iam videant,
ſe, *novæ* ſuæ *fidei* pertæſos, fugam arripuiſſe, neque eam
vi diſputationis propugnare vlteriùs poſſe. Quod
profectò non leue viris prudentibus argumentum eſſe
poteſt, *fidem* hanc *novam* de poteſtate Papali Principes
deponendi, quam ſtabilire totis ſuis viribus, & artibus
tentarunt, non eſſe *certam*, et *verè Catholicam*, ſed infir-
miſſimis fundamentis nixam, cùm tot, tamque cele-
berrimi, et ex toto Chriſtiano orbe ſelectiſſimi Theo-
logi, eam contra paucos, et eorum comparatione
Theologorum minimos, vi argumentorũ defendere
non valeant; neque enim difficile eſt paucis optimè
armatis, quamplurimos ipſo etiam *Hercule* robuſtio-
res, ſi iuncis pugnent, ſuperare.

33. Et nihilominùs noſtrates Ieſuitæ, eorumque
fautores, cùm nullũ aliud effugium quò ſe recipiant,
iam

iam illis relinquatur, vt saltem fœdâ inobedientiæ, & contra *Sedem Apostolicam* rebellionis notâ *Widdringtonum*, eiusque doctrinæ adhærentes apud plebem imperitam aspergant, prædicta *Breuia*, & *Decreta*, quibus tamen plenissimè satisfactum est, adhuc etiam plenis faucibus conclamitare non desinunt, ac si Catholicis indoctis, sed alioquin timoratæ conscientiæ persuadere vellent, *obedientiam cœcam Summo* etiam *Pontifici* in omnibus absque vlteriori examine exhibendam, vel à Sanctis Patribus, vel à quoquam antiquo, aut recentiori Theologo laudatam esse, vel vllum esse inobedientiæ crimen præcepto Prælati, etiamsi sit *Summus Pontifex*, in *falsis informationibus*, & *suppositionibus* fundato, quando in *tertiæ personæ*, & præcipuè *Principis supremi*, qui in possessione suæ famæ & bonorum est, præiudicium tendit, non acquiescere; dummodo subditus rationes ob quas dubitat, præceptum illud iniustum esse, & veræ obedientiæ, *Deo* & *Cæsari* iure diuino debitæ repugnans, *Prælato* humiliter proponat. Sed quàm falsò, calumniosè, schismaticè, & contra etiam *Iuris Canonici* regulas *Widdringtonus*, eiusque doctrinæ adhærentes, de *inobedientia*, & rebellione contra *Sedem Apostolicam* arguantur, vt propterea communione Ecclesiastica priuari mereantur, eo quòd *Decreta* illa, & *Breuia* in *falsis suppositionibus* fundata non admittant, infrà [e] manifestiùs *Vestræ Beatitudini* ostendemus. [e] nu. 51. & seq.

34. Interim quod ad *Decreta* attinet, meminerit, quæsumus, *Sanctitas Vestra*, vti in *Appellatione* nostra [f] declarauimus, quòd simulatque *Widdringtonus Apologiam* suam *pro Iure Principum* ediderat, in qua *falsam Cardinalis Bellarmini fidem*, de potestate Papali Principes [f] nu. 3, 4.

ſupremos deponendi, ex ipſiuſmet *Card. Bellarmini* principijs tum ſolidè, tum modeſtè confutauit, & perſpicuè commonſtrauit, eam neque in verbo Dei, vel Traditione, aut praxi *Apoſtolica*, vel *Sanctorum Patrum* teſtimonio, vel *Conciliorum*, aut *Summorum Pontificum* Decretis, vel in alia quauis authoritate, aut ratione Theologica ſufficienter fundari, eam rem *Card. Bellarminus* moleſtiſſimè ferens, nimia in *Widdringtonum* indignatione exarſerit, & videns prædictam ſui, ſuorumq; *fidem nouam* non ſolùm à Catholicis in dubium vocari, verùm etiam ſi forſan taceret omnino periclitari, ſtatim ſeſe, quorundam etiam perſuaſionibus inſtigatus (vti ex ipſiuſmet literis conſtat) ad *Widdringtono* reſpondendum accinxerit; ſed timens, ne priuſquam opus deſignatum perficeret, interim doctrina *Widdringtoni* magis excreſceret, & altiores radices in mentibus Catholicorum defixas teneret, vt omnem planè fidem prædictæ *Apologiæ*, eiuſque *Authori*, tum apud vulgus imperitum, tum apud viros quoſcunque doctos, qui eam non perlegerant, detraheret, eam ex decreto *Sacræ Congregationis* Illuſtriſſimorum *Cardinalium* ad Indicem deputatorum (qui, vti accepimus, ſenarium numerum non excedunt, & è quibus ipſemet *Card. Bellarminus* vel primus, vel vnus ex primis erat, & ſolus ac vnicus tunc *Widdringtoni* Aduerſarius, quique proinde in propria ſua cauſa & Accuſator, & Teſtis, & Iudex *Widdringtoni*, qui falſam eius fidem expugnauerat, eſſe voluit) omnino prohibendam, & ac ſi dogmata hæretica contineret, in medio librorum quos *Proteſtantes* ſcripſerunt, collocandam, & à nemine vllo vnquam tempore legendam diligentiſſimè curauerit.

35. Hac

35. Hac autem eius ad *Widdringtoni* Apologiam Reſponſione iam plenè finita, eam confeſtim prælo committendam, & *Romæ* typis excudendam mandauit, ſed nihilominus ſub proprio eius nomine in lucem publicam prodire non permiſit, quâ verò de cauſa ipſe meliùs nouerit, nos aliam coniectare non poſſumus, niſi quòd tam falſa & horrenda crimina *Widdringtono* per calumniam impoſuerit, vt quiuis Catholicus etiam literarum, & modeſtiæ Chriſtianæ rudis, nedum eruditione & dignitate illuſtriſſimus tam falſa, immodeſta, inuerecunda de viro Catholico, quique præſertim pro fide Catholica Romana graues ærumnas indies ſuſtinet, & præterea in omnibus Catholicæ Eccleſiæ Romanæ iudicio ſe humillimè ſubmittit, palã aſſerere omnino erubeſceret. Veruntamen non multò poſt eadem *Card. Bellarmini* Reſponſio, ſeu *Apologia*, quod ad ſubſtantiam eius attinet, *Coloniæ Agrippinæ* ſub nomine, non *Card. Bellarmini*, ſed *Adolphi Schulckenij* Geldrienſis *Sacræ Theologiæ* Doctoris, & in ciuitate *Colonienſi* profeſſoris, prodijt, & cum ingenti *Patrum Ieſuitarũ* applauſu magnã Chriſtiani Orbis partẽ peragrauit, ſed dum Chriſtianiſſimũ *Franciæ* Regnũ proſperò etiã flatu tranſuolare, & in nobiliſſima *Pariſiorum* ciuitate dogmata ſua pernicioſa diſpergere nititur, ecce derepente nominis ſui, gloriæ, & honoris iacturã fecit, ſummoq; cum dedecore flãmis vltricibus in cineres redacta eſt. Atque ex hac *falſiſſima fide Catholica*, quam *Card. Bellarminus* eiuſq; ſequaces orbi Chriſtiano per vim obtrudere conati ſunt, mota eſt *Sacra* illorũ ſex *Cardinalium Congregatio* ad prædictã *Widdringtoni* pro Iure Principũ *Apologiam* omnino proſcribendam; exiſtimabant enim, (malè eos informante *Card. Bellarmino*)

larmino) doctrinam hanc de Principibus authoritate Papali deponendis eſſe *de fide certam*, & ab omnibus fidelibus neceſſariò credendam, & contrariam non tam *ſententiam*, quàm *hæreſim* omnino reputandam, quòd tamen falſiſſimum eſſe tum *Ioannes Barclaius*, cuius *Pietati*, ſiue *publicis pro Regibus ac Principibus*, & *priuatis pro Guilielmo Barclaio Parente contra Card. Bellarminum vindicijs* nemo adhuc reſpondit, tum etiam *Widdringtonus* euidenter commonſtrarunt.

36. Neque etiam adhuc (*Pater Beatiſſime*) nobis perſuadere vllo modo poſſumus, quod tamen quidam hîc contra nos, cæteroſque Catholicos Anglos doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes vehementer obijciunt, nempe *Ioannem Barclaium*, nunc *Romæ* degentem, priorem ſuam, patriſque ſui *Guilielmi Barclaij* ſententiam, de poteſtate Papali principes deponendi, iam ex animo mutaſſe, & reuocaſſe, atque *nouam Card. Bellarmini*, eiuſque ſequacium de ea poteſtate *fidem* approbaſſe, cùm nihil tale vel ex relatione fide digna, vel ex ipſius ſcriptis publicis colligere adhuc poſſimus. Hoc ſolum in *Epiſtola* ſua ad *Lectorem* præfixa libro illi, quẽ *Paræneſim* ad *Sectarios* appellat, quod ad præſentẽ controuerſiam attinet, ab eo ſcriptũ reperimus, *ſe in ſcriptis ſuis multa aduertiſſe, quæ vel tacentibus cunctis ipſe damnaret; quale illud, quòd Reſpublicas Eccleſiaſticam & ciuilem ita diſtingui voluit, vt non in vnum corpus miſtæ, ſed ſociæ tantùm eſſent, nec vnicam rempublicam Chriſtianam facerent, in qua illa ſpiritum referret, hæc corpus &c. Et hæc ſtrictim*, ait, *annotata aliquando fuſiùs proſequi mihi animus tempore & otio meliore. Nequeenim mihi ſatis quæ fusè differui, hîc paucis caſtigaſſe.* Veruntamen ſi *D. Ioanni Barclaio* animus ſit (quod ſanè veritatis Catholicæ inueſtigandæ & confirmandæ

firmandæ gratia plurimùm optamus) vti promittere videtur, illam poteſtatis *politicæ* ad *Eccleſiaſticam*, quam *Widdringtonus* negat, *ſubordinationem*, & Reipublicæ *ciuilis*, atque *Eccleſiaſticæ* in vnam *totalem* Rempublicam Chriſtianam, cuius ſupremus Princeps eſt *Summus Pontifex*, coalitionem, non argumentis tantùm probabilibus (hæc enim ad rem fidei demonſtrandam non ſufficiunt) ſed demonſtratiuis, & quibus nulla Reſponſio verè probabilis adhiberi poteſt, confirmare, * nos etiam *Veſtræ Beatitudini* ſyncerè pollicemur, vel nos, vel *Widdringtonum*, vel vnum aliquem ex eius doctrinæ adhærentibus, eum, Deo adiuuante, ex ipſiuſmet *Ioannis Barclaij* principijs, quæque veriſſima eſſe comprobabimus, ſtatim aut refutaturos, aut nos in errore verſatos eſſe, & *nouam* Card. *Bellarmini*, eiuſque ſequacium *fidem*, de poteſtate Papali Principes ſupremos deponendi, *verè Catholicam* eſſe, quam nihilominus adhuc *falſiſſimam* eſſe credimus, illico & abſque mora palam conceſſuros.

* *Sed interim videat D. Barclaius in Reſponſione Widdringtoni ad Th. Fitzherbertum parte 2. huius ſubordinationis, & vnionis refutationem, priuſquam eam confirmare aggrediatur, ne aerem fruſtra verberare, & cum propria ipſius vmbra otiosè concertare reperiatur.*

37. Iam vt *Veſtræ Sanctitati* paucis oſtendamus, tam præfatum *Sacræ Congregationis* decretum, & reliqua *duo decreta*, quorum in noſtra *Appellatione* fit mentio, quoſdam *Widdringtoni* libros proſcribentia, quàm *Veſtri* Prædeceſſoris *Pauli* V. *Breuia* Iuramentum prohibentia, eò quòd *multa contineat, quæ fidei & ſaluti apertè aduerſantur*, in *falſis ſuppoſitionibus*, & præſertim in *falſa* illa *Card. Bellarmini*, eiuſque ſequacium *fide Catholica*, de Principibus authoritate papali deponendis fundata eſſe, quædam *generalia indicia* ad id probandum *Veſtræ Beatitudini*, ab ea pro ſingulari ſua prudentia diligentius examinanda, proponemus.

38. *Primum indicium* eſt, quòd *ſex* illi *Illuſtriſſimi*

Cardinales ad Indicem deputati, ex quibus ipſemet *Card. Bellarminus*, præcipuus *Widdringtoni* Aduerſarius, vel primus, vel vnus ex primis erat, non ſolùm *Apologiam* eius *pro Iure Principum*, verùm etiam *Diſputationem* eius *Theologicam de Iuramento Fidelitatis*, verbis tantùm generalibus damnauerint, cùm tamen *Diſputatio* illa *Theologica* humillima tantùm ad *Summum Pontificem* Supplicatio erat, & non alium ob finem, quàm ad eum malè à quibuſdam, præſertim *Card. Bellarmino*, de ſtatu controuerſiæ, & de vero Iuramenti Fidelitatis ſenſu informatum, meliùs informandum ab Authore compoſita : In qua etiam Author nihil ex propria ſententia aſſerit, ſed ſolùm quid Catholici Angli Iuramentum approbantes, vel improbantes, in vtramque partem obijcere ſoleant, ſyncerè, fideliter, & cum
" omni debita ſubmiſſione, proponit : *Suam Beatitudi-*
" *nem* humiliter deprecans, vt poſtquam de rationibus,
" ob quas Catholici Angli Iuramentum illud licitum
" eſſe arbitrantur, plenè informata fuerit, illaſque dili-
" genter examinauerit, eas pro paterna eius ſolicitudine,
" & munere paſtorali, particulatim vel approbet, vel
" condemnet ; & *vnicam* ſaltem Iuramenti *clauſulam*,
" quæ fidei & ſaluti repugnans ſit, illis ſignificare velit,
" vt ipſi in hoc negotio grauiſſimo, quod Pontificiæ
" authoritatis, & Regiæ dignitatis prærogatiuam tam
" intimè attingit, tum *Sedis Apoſtolicæ* præceptis obſiſte-
" re formidantes, tum *Regio mandato*, quantum tutâ con-
" ſcientiâ poſſunt, parere cupientes, clarè perſpiciant,
" atque ab animarum ſuarum Paſtore perſpicuè &
" abſque vllis ambagibus, aut verborum integumentis
" edoceantur, quas Iuramenti clauſulas admittere,
" quaſque reijcere teneantur, neque enim omnes & ſin-

gulas

gulas Iuramenti partes à veritate aut iuſtitia alienas eſſe quiſquam Catholicus Anglus affirmare audet. An autem hæc tam *humilis*, tamque *neceſſaria* ouium ad Paſtorem, filiorum ad Patrem, diſcipulorum ad Magiſtrum, & oppreſſorum ad Iudicem *Supplicatio*, adeo iniuſta & irrationabilis ſit, vt propterea non ſolùm non exaudiri, ſed penitus condemnari mereatur, nullo tamen crimine ob quod condemnetur indicato, vel potiùs vtrùm *Sanctitas Sua* tunc planè viderit, *Breuia* ſua in *falſis ſuppoſitionibus* fundata eſſe, neque quicquam in Iuramento aſſignare potuerit, quod fidei & ſaluti apertè aduerſetur; vti ſuis *Breuibus* declarauerat, apud *Veſtram Beatitudinem* iudicium eſto.

39. *Secundũ indiciũ* eſt, quòd prędicti *ſex Cardinales Illmi* non ſolùm *Apologiam pro Iure Principum*, & *Diſputationem Theologicam de Iuramento fidelitatis*, verbis tantùm generalib⁹ damnauerint, verùm etiã, quod magis mirandũ eſt, ipſum etiam *Authorẽ* ſeuerè admonuerint, *vt quamprimũ ſe purgaret, alioquin cenſuris aliiſq; pœnis Eccleſiaſticis*, quæ temporalibus longè grauiores ſunt, *omnino coercendus* : Et nihilominus more prorſus inſolito, & præter omniũ tribunaliũ conſuetudinem, illum de nullo crimine, à quo ſe purgare debeat, vel ſpeciatim, vel generatim certiorem reddunt. Quid enim de illo Iudice exiſtimaret *Sanctitas Veſtra*, qui verbis minacibus alicui diceret, Ecce pœnis grauiſſimis te coercebo, vt quamprimùm te purges, nullum tamen crimen tibi indicabo, à quo te purgare debeas.

40. *Tertium indicium* eſt, quòd tametſi *Author* illorum librorum, iuxta *Sacræ Congregationis* decretum, ſeſe quamprimùm purgauerit, eiuſque *Purgationem* ad Sanctiſſimum

Sanctiſſimum *Dominum Paulum* V. *Veſtræ Sanctitatis* prædeceſſorem tranſmiſerit, atque ab omni hæreſeωs, et erroris ſuſpicione ſeſe generatim purgauerit, & *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ* iudicio ſe in omnibus humillimè ſubmiſerit, *Suamque Sanctitatem* inſtantiſſimè deprecatus fuerit, vt *Decretum* illud *Sacræ Congregationis*, ſi poſt debitam examinationem ex mala informatione latum eſſe deprehenderet, vel reuocare, et *Widdringtoni* famam inde grauiter læſam in integrum reſtituendam curare, vel ipſum de aliqua ſaltem propoſitione in libris eius contenta, quæ fidei aut bonis moribus aduerſetur, certiorem facere dignaretur, hac inſuper proteſtatione ab *Authore* adhibita, vt quæ corrigenda ſint corrigere, quæ explicanda explicare, quæ retractanda retractare, & quæ purganda purgare quàm primùm vellet, quam ſanè *Purgationem* ad ſe ab omni crimine purgandum, & ad ora maledicorum obſtruenda abundanter ſufficere iudicauit : Et quod tametſi idem *Widdringtonus* quotidianis experimentis perſentiens, ſe, cæteroſque eius doctrinæ adhærentes, non obſtante prædicta eius *Purgatione*, magis indignè & iniurioſè deinceps, quàm vnquam antea à *Card. Bellarmini* fautoribus hîc in Anglia tam verbis, quàm factis tractari, & tanquam hæreticos, à fide Apoſtatas, Sedi Apoſtolicæ rebelles, communione Eccleſiaſtica indignos, omniq; Iuriſdictione Sacerdotali priuatos, cum non leui tum *Proteſtantium*, tum *Catholicorum* ſcandalo, maximaque ipſius, cæterorumque eius doctrinæ adhærentium ignominia, apud imperitum vulgus per iniuriam traduci, aliam præterea *Supplicationem* ad eundem *Summum Pontificem* conſcripſerit, in qua de prædictis eorum oppreſſionibus plurimùm conqueritur,

ritur,& tandem *hæc tria* potiſſimùm à *Sua Beatitudine* ſupplex petierit.

41. *Primò*, vt *Sanctitas ſua*, quænam ſint illa multa, vel vnum ſaltem è multis, quæ in Iuramento fidei & ſaluti apertè aduerſari ſuis *Breuibus* declarauit, pro munere ſuo Paſtorali Anglis Catholicis notum facere dignaretur, vt ita & proprijs conſcientijs, & *Regiæ Maieſtati*, & *Suæ* etiam *Sanctitati*, quantum in ipſis eſſet, ſatisfacere poſſent.

Secundò, vt *Decretum* illud *Sacræ Congregationis* contra *Widdringtonum*, eiuſque libros ex mala informatione editum vel reuocandum, famamque eius inde grauiter læſam in integrum reſtituendam curaret, vel quænam ſint illa dogmata ob quæ libri eius prohibiti ſunt, vt ea aut retractare, aut ab illis ſe purgare poſſit, *Sanctitas ſua* pro debita eius cura Paſtorali, illi ſignificare quamprimùm vellet.

Tertiò, vt *Sanctitas ſua* opuſculum illud *Widdringtoni*, cuius ſtatim mentio habebitur,(in quo horrendiſſimæ quædam calumniæ, quas *Card. Bellarminus*, ſub *Adolphi Schulckenij* nomine perſonatus, *Widdringtono* impoſuit, perſpicuè deteguntur) ſeriò perlegere, & diligenter examinare non grauaretur, vt ita non ex aliorum, qui eius *Sanctitate*, iuſtitia, ac charitate abutuntur, ſuggeſtionibus, ſed ex propria ſcientia grauiſſimam hanc controuerſiam expendere, & quod rectum & iuſtum eſt, iudicare poſſit.

42. Nihilominùs, quod maximè mirandum & ſtupendum eſt, præfati *ſex Cardinales Illuſtriſſimi*, his omnibus non obſtantibus, hanc etiam *Supplicationem* tam iuſtam & rationabilem, in qua *Widdringtonus ſuam Sanctitatem* ſuppliciter obſecrat, vt iam tandem, poſt

tot humillimas *Supplicationes* illi exhibitas, ad particularia deſcendere, & vnicam ſaltem propoſitionem vel in Iuramento, vel in eius libris contentam, quæ fidei, ſaluti, aut bonis moribus repugnet, illi patefacere dignaretur, omnino condemnandam decreuerunt, & in medio librorum, quos *Proteſtantes* ſcripſerunt, reponendam curarunt: quaſi verò iniquum, aut Eccleſiæ filio indignum eſſet, inſtructionem in dubijs à communi fidelium Patre ac Paſtore, aut iuſtitiam pro iniurijs & calumnijs etiam contra Illuſtriſſimos Cardinales à ſupremo omnium noſtrûm in ſpiritualibus Iudice humiliter poſtulare. Et certè ſi *Iudex* quiſpiam *Secularis*, quantæcunque alioquin authoritatis, dignitatis, aut apud populum, vel Principem exiſtimationis fuerit, in filios alicuius quantumcunque pauperrimi, aut ignobilis animaduerteret, eoſque indicta cauſa nec crimine aliquo, ob quod tam dirè plectuntur, indicato, in perpetuum exilium eijciendos, & ab omni hominum confortio excludendos, & quod maius eſt, etiam *Patrem* ipſorum, niſi ſe quamprimum purgaret, grauiſſimis ſupplicijs omnino coercendum palam decerneret, & ſi *Pater* ille à *Iudice* non ſemel, ſed iterum humiliter poſtularet, vt vel ſententiam illam reuocaret, vel crimen aliquod, cuius ipſe conſcius non eſt, ob quod filij eius pœna tam crudeli afficiuntur, & à quo ipſe, alioquin etiam ex decreto Iudicis grauiſſimè caſtigandus, ſe quamprimum purgare debeat, illi notum facere dignaretur; nihilominus *Iudex* ille, neque crimen vllum patefacere, nec decretum ſuum reuocare vellet, ſed executioni omnino mandandum præciperet, nonne *Sanctitas Veſtra* tam inſolitam, & pene inauditam iſtius *Iudicis* ſententiam ſuſpectam haberet,

talemque

talemque *Iudicem* de aperta iniuſtitia, & iniqua oppreſſione palam & in conſpectu totius mundi accuſatum, ad rationem eiuſmodi *Decreti* reddendam, atque vt illis, quos per violentiam, & ſuæ potentiæ, authoritati, aut Principis fauori nimium confiſus, iniquè oppreſſit, plenè ſatisfaciat, à ſupremo illius *Iudicis* Principe omninò compellendum meritò exiſtimaret?

43. *Quartum indicium* eſt, quòd tametſi idem *Widdringtonus*, vt *Sanctitatem Suam* certiorem faceret, quàm turpiter *Card. Bellarminus*, ſub *Adolphi Schulckenij* nomine perſonatus, tum *Suam Beatitudinem*, tum *Illuſtriſſimos Cardinales*, totumque mundum falſis informationibus ludificari, tum etiã ipſum *Widdringtonum* inuerecundè admodùm ſcriptis publicis calumniari auſus fuerit, in alio libello ſupplici quinq; abhinc annis conſcripto, qui *Appendix ad præcedentem Supplicationem* nuncupatur, plurima nefandiſſima crimina (videlicet *hæreſeωs, erroris, temeritatis, inobedientiæ, ſummæque impudentiæ, præſumptionis, & arrogantiæ*, & quod ridiculum eſt, etiam *læſæ Maieſtatis, quòd ſit impoſtor, & non Eccleſiæ Catholicæ filius, ſed Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ* Iacobi *ſtipendiarius miles, aut conductitius ſeruus, Catholicæ verò Eccleſiæ iuratus ac capitalis hoſtis, & in reprobum ſenſum datus*, quòd *damnatam Lutheri & Caluini Hæreſiarcharum doctrinam propugnet*, quòd *contra ſacras literas, doctrinam Conciliorum, vnanimem conſenſum Patrum & Doctorum hæreticis ſchiſmaticiſque in oppugnanda & mutilanda Pontificia poteſtate ſe iungat*, quòd *iuſtificet Caipham, Nerones, Domitianos, Diocletianos, & ſimiles peſtes Eccleſiam Chriſti perſequentes, & condemnet Chriſtum, Apoſtolos, cæteroſque pios martyres patientes*, vt cætera eiuſdem farinæ conuitia in *noua* ſua *fide Catholica*,

de Principibus authoritate Papali deponendis atque etiam occidendis, fundata nunc mittamus) ab eodem *Schulckenio* per manifeſtam calumniam *Widdringtono* impoſita *Suæ Sanctitati* patefecerit, atque clariſſimè oſtenderit, eundem *Schulckenium*, vt *Widdringtonum* tam execrandis criminibus verè obnoxium eſſe cum maiori probabilitatis ſpecie commonſtraret, verba eius vel addendo, vel detrahendo, vel in ſenſum peſſimum, & ab Authoris mente omnino alienum, & contra verborum proprietatem inuertendo, & plerumque verum quæſtionis ſtatum immutando, turpiter deprauaſſe; ac proinde eundem *Schulckenium* de *crimine falſi*, & de *aperta calumnia* apud *Sedem Apoſtolicam* in iudicium vocauerit, & iuſtitiam contra eum pro tam atrocibus calumnijs *Widdringtono*, & conſequenter cæteris eius doctrinæ adhærentibus falsò illatis inſtantiſſimè poſtulauerit: nihilominus neque *Card. Bellarminus*, neq; *Doctor Schulckenius*, nec quiſquam alius pro ipſis præfatum *Schulckenium* à tam fœdiſſimis criminationibus, de quibus à *Widdringtono* accuſatur, vindicare toto hoc tempore conatus fuerit; cùm tamen Illuſtriſſimus *Bellarminus* iam morti vicinus, & exactiſſimam de omni verbo etiam otioſo rationem ſupremo omnium Iudici breuì redditurus, meliùs profectò (vti nos cum omni reuerentia debita loquentes arbitramur) & famæ & conſcientiæ ſuæ conſuleret, vt vel illis Catholicis, quos palam aut in occulto iniuria affecit, dum tempus eſt, ſatisfaceret (*ſi enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſsit non redditur, non agitur pœnitentia ſed fingitur, ſi autem veraciter agitur, non remittetur* [g] *peccatum, niſi reſtituatur ablatum cum reſtitui poteſt*:) vel ſi innocentem ſe eſſe arbitretur, vt à tam fœdis criminibus,

[g] *S. Auguſtin. epiſt. 54. ad Macedon. proveie &c.*

criminibus, de quibus à *Widdringtono* accusatur, ad se purgandum pauxillum temporis insumeret, cùm neque ætas eius iam fere decrepita, neque negotia vel publica vel priuata eum ab aliquo spirituali opusculo quotannis conscribendo impediant.

44. *Quintum indicium* est, quòd tametsi idem *Widdringtonus* etiam *Iacobum Gretzerum*, *Martinum Becanum*, *Leonardum Lessium*, *Franciscum Suarez*, & *Thomam Fitzherbertum* Societatis Iesu religiosos, qui prædictum *Fidelitatis* Iuramentum impugnandum, & *nouam suam fidem Catholicam*, de potestate papali Principes deponendi, propugnandam susceperunt, scriptis publicis refutauerit, nemo tamen illorum, aut alius quispiam pro illis ad prædictas refutationes hucusque responderit, quod sanè viris prudentibus, & *Patrum Iesuitarum* mores, ingenium, eruditionem, & singularem sese ab omni reprehensionis nota vindicandi curam & diligentiam vel mediocriter callentibus, non leue argumentum esse potest, prædictos *Patres* iam tandem clarè perspicere, *nouam* illam *fidem Catholicam*, quæ præcipua horum omnium tumultuum, pulueris sulphurei Coniurationum, Breuium, Decretorum, & inter Catholicos discordiarum causa extitit, absque sufficienti fundamento ab ipsis potissimùm adinuentam esse, neque sine maiori eorum dedecore ab ipsis defendi vlteriùs posse.

45. Quibus indicijs (vt alia plura nunc mittamus) addi potest tum *Decretum* sex *Illustrissimorum* (nempe *Pauli Sfondrati*, *Roberti Bellarmini*, *Ioannis Garsiæ Mellini*, *Fabricij Veralli*, Fratris *Augustini Galamini*, & *Aloysij Capponi*) S. R. E. *Cardinalium*, à Sanctissimo Domino *Paulo* Papa Quinto super librorũ permissione, prohibitione,

expurgatione, & impreſſione in vniuerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum aduersùs *controuerſiam Anglicanam Martini Becani de poteſtate Regis & Pontificis*, tanquam *nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa, & ſeditioſa reſpectiuè* continentem die tertia *Ianuarij* 1613. ex mandato *Suæ Sanctitatis* ſancitum : tum quæ à *Doctoribus Pariſienſibus* Calendis *Decembris* 1612. (quæque præfato *Illuſtriſſimorum Cardinalium* Decreto evulgando cauſam præbuerunt) & 2. *Ianuarij* 1613. & die prima *Februarij* 1613. *acta ſunt* [h] in *Congregatione* ordinaria *Facultatis* Theologiæ *Pariſienſis*, quæq; à Magiſtro *Antonio Fayet* Sacræ Theologiæ Doctore, nomine totius *Facultatis* in *Regis Lupara* die ſeptimo *Ianuarij* 1613. ad *Sereniſſimam Reginam* dicta ſunt contra præfatam *Becani* controuerſiam Anglicanam, & *nouas* quaſdam ac *periculoſas propoſitiones* de poteſtate *Summi Pontificis Reges* deponendi in ea contentas ; quæ omnia ſi *Sanctitas Veſtra* diligenter expendere voluerit, facilè perſpiciet, quam opinionem tum præfati *Cardinales Illuſtriſſimi*, tum omnes vt plurimum *Theologi Pariſienſes* de poteſtate *Papali Principes* deponendi tanquam de *fide Catholica* ab omnibus neceſſariò credenda habuerint, & vtrùm præfati *Widdringtoni* libri eò quòd noua hæc, ſeditioſa, & Principum Capitibus periculoſa *fides Catholica* in illis impugnetur, eorumque, qui eam propugnare ſtudent, fraudes, cauilli, & ſophiſmata detegantur, vlla prorſus Cenſura notari mereantur.

[h] *Iſta Acta Doctorum Pariſienſium & Cenſura Cardinalium infrà in fine Supplicationis noſtræ cum aliis nonnullis obſeruatu dignis ad verbum habentur.*

46. *Denique*, quod ſpectat ad *Breuia* Prædeceſſoris Veſtri *Iuramentum* prohibentia, eo quòd *multa contineat, quæ fidei & ſaluti apertè aduerſantur*, ea quoque in *falſis ſuppoſitionibus* fundata eſſe nimis manifeſtum eſt, quandoquidem,

quandoquidem, vti *Widdringtonus* [1] ex aperta *Card. Bellarmini, Iacobi Gretzeri, Martini Becani, Leonardi Leßij,* & *Franciſci Suarez* doctrina (vt *Thomam Fitzherbertum,* & *Matthæum Kellinſonũ* Scriptores Anglicos nunc mittamus) clariſſimè comprobauit, tam *Primatum Papæ* directè in ſpiritualibus, nempè *poteſtatem* eius *excommunicandi,* in *Iuramento* abnegari, quod falſiſſimum eſſe *Widdringtonus* tum ex ipſius *Iuramenti* verbis propriè acceptis, tum ex expreſſa *Suæ Maieſtatis* declaratione euidenter commonſtrauit, quàm *Primatum* eius indirectè in temporalibus, nempe *poteſtatem* Summi Pontificis Principes ſi id meriti ſint deponendi, atque de rebus omnibus temporalibus, & conſequenter de Coronis & Capitibus Regum in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi, quæ quidem in *Iuramento* expreſſe abnegatur, eſſe rem *de fide certam*, neque apud Catholicos eruditos in controuerſia poſitam, quod non minus falſum eſſe tum *Widdringtonus* demonſtrauit, tum ex ijs quæ ſuperius [k] à nobis dicta ſunt, manifeſtè eluceſcit.

[1] *In Diſputat. Theol. de Iuramento cap. 3. & 4. & in Append. contra Suarez part. 2. ſect. 3. 4. & 5.*

[k] *Nu. 19. & ſeq.*

47. Vnde perſpicuè conſequitur, tum prædicta *Breuia,* cùm in *falſis rationibus fundamentalibus,* & *ſuppoſitionibus* fundentur, ad ea obſeruanda neminem obligare, quandoquidem iuxta veriſſimam *Franciſci Suarez* [l] doctrinam ſatis conſtat, nullum *præceptum,* ſeu *Breue* Pontificis *declaratiuum* maiorem obligandi vim habere, quàm valeat *ratio fundamentalis*, quæ in præcepto illa, ſeu *Breui* ſupponitur, & declaratur: tum etiam *nouum* fidelitatis *Iuramentum* nihil in ſe continere, quod *fidei,* aut *ſaluti* aduerſetur. Si enim ſemel admittatur, quod proculdubio veriſſimum eſt, non eſſe doctrinam de *fide certam*, & ab omnibus neceſſariò credendam,

[l] *Lib. 3. de Legibus cap. 14.*

dam, sed ad summum *speculatiuè* probabilem, quòd Papa Principes supremos deponendi, & de rebus omnibus temporalibus, & consequenter tam de Capitibus, quàm Coronis Regum in ordine ad bonum spirituale disponendi potestatem habeat, hinc perspicuum est *primò*, licitum esse iureiurando interposito *agnoscere & profiteri* (quæ est *secunda* Iuramenti *clausula* contra quam omnes nostri Aduersarij adeo vociferantur, nam *primam Clausulã*, nempe quòd *supremus Dominus noster Rex Iacobus sit legitimus & verus Rex huius Regni*, & *omnium aliarum Maiestatis Suæ Dominiorum, & Terrarum*, omnes nostræ nationis Catholici libenter admittunt, tametsi exteri quidam *Iesuitæ*, veluti *Gretzerus*, *Suarez*, atque etiam *Becanus* in controuersia eius Anglicana recognita contra hanc etiam *Clausulam* partim friuolè ac imperitè, partem seditiosè & scandalosè cauillentur) quòd *Papa non habeat vllam* veram, realem, propriam, sufficientem, & legitimã *potestatem vel authoritatem Regem deponẽdi* &c. cùm clarum sit (vti supra ostendimus) *potestatem, quæ non omnino certa, sed probabilis, non posse esse fundamentum, quo immediatè aliquis puniatur, & iure suo ac dominio priuetur, & generales Canones pœnales statuantur*, &c. *sed talis potestas certissimè, non dubiè debet competere* [m].

[m] *Sunt verba ipsius Lessii in suo Singletono, pag. 71. 72.*

48. *Secundò* perspicuum est, licitum etiam esse cuivis Regis subdito *promittere & polliceri*, quæ est *Tertia Iuramenti Clausula*, quòd *non obstante quacunque sententia Excommunicationis, Depriuationis*, aut *Absolutionis subditorum ab eorum fidelitate, obedientia, & subiectione per Papam, vel Successores suos facta aut facienda contra prædictum Regem, Hæredes & Successores suos, fidelitatem tamen & veram obedientiam suæ Maiestati, Hæredibus & Successoribus suis præstabit, Ipsumque & ipsos contra omnes proditorias conspirationes*

tiones totis ſuis viribus defendet, omnemque operam impendet, vt omnes proditiones, & proditorias conſpirationes contra ipſum, aut aliquos eorum, quæ ad eius notitiam, vel auditum pervenient, Suæ Maieſtati, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis reuelet & manifeſtas faciat: quandoquidem *Summus Pontifex nullam* veram, realem, propriam, ſufficientem, & legitimam poteſtatem quantumcunque *probabilis* eſſe ſupponatur, habet Principes ſupremos deponendi, ſeu depriuandi, ac proinde nec eorum ſubditos à temporali fidelitate, illis ex lege Chriſti, & naturæ debita, abſoluendi, & conſequenter neque licentiam ſubditis concedendi, vt Principes ſuos ſupremos contra omnes proditiones, & proditorias conſpirationes totis ſuis viribus non defendant, eaſve, quando ad eorum notitiam perueniens, manifeſtas non faciant. Illud verò, quod *Card. Bellarminus*, cæterique Ieſuitæ ſuprà citati eius veſtigia ſequuti aſſerunt, illis verbis [*non obſtante quacunq; Excommunicationis ſententia*] *apertè negari Summo Pontifici poteſtatẽ Reges etiam hæreticos excommunicandi*, falſiſſimũ eſſe *Rex* noſter *Sereniſſim*[o] [n] tũ palam, & ſcriptis publicis totius Chriſtiani Orbis Monarchis, ac Principibus declarauit, tum *Widdringtonus* [o] ſolidiſſimè comprobauit; nam per illa verba [*non obſtante quacunq; ſententia Excommunicationis*] poteſtas Regem excõmunicandi ſupponitur potiùs, quàm negatur, (licet revera neque *aſſeratur*, neque *negetur*, *ſed quæſtio de tali poteſtate omnino declinetur*) & hoc ſolùm ex illis verbis colligitur, Excommunicationem neque iure diuino, cùm ex lege Chriſti ſpiritualis tantùm Cenſura ſit, & Chriſtianos, ſi in peccatis obſtinati ſint, tanquam Ethnicos duntaxat, & Publicanos faciat, neque iure Pontificio, aut Eccleſiaſtico (cùm neque Summo

Bell. in Reſp. ad Apologiã Coloniæ 1610. pag. 9. & in Apologia cap. 15. in primo mendacio.

[n] *Tum in Apologia, tum in præfatione Monitoria non longè à principio: & in Catalogo mendaciorũ Torti §. 1.*

[o] *In Diſputat. Theol. ca. 4. ſec. 1.*

Pontifici, neque totæ Chriſti Eccleſiæ ſpirituali vlla *vera, realis, propria, ſufficiens,* & *legitima,* quamdiu *probabilis* tantùm manet, neque tanquam certa, & de fide Catholica ab omnibus neceſſariò credenda, ab *Eccleſia,* quæ *columna,* & *firmamentum veritatis eſt* [p], declaratur, poteſtas competat Reges deſtituendi) hunc effectum habere, vt ex Regibus non Reges efficiat, aut Principes ſupremos Regnis, quæ poſſident, etiam per ſententiam priuet.

p 2 Tim. 3.

49. *Tertiò* perſpicuum eſt, poſſe quemuis tutâ conſcientia *abhorrere, deteſtari,* & *abiurare* (quæ eſt *quarta* Iuramenti *Clauſula*) hanc doctrinam ſeu poſitionem, tanquam falſam, impiam, Principibus ſupremis iniurioſam, damnabilem, & Verbo Dei, ſaltem per neceſſariam conſequentiam repugnantem, & proinde *hæreticam* (accipiendo *hæreticam* propoſitionem pro ea, quæ vel in ſacris literis expreſsè continetur, vel per neceſſariam conſequentiam ex ijs deducitur, prout à noſtris Theologis [q], & Proteſtantibus etiam plerunque accipi ſolet) quæ aſſerit, *poſſe ſubditos, vel alium quemcunq; Principes per Papam excommunicatos, vel depriuatos deponere,* ſeu è ſuis dominijs per vim extrudere, & multo minùs *occidere.* Si enim certiſſimum non ſit (vti proculdubio non eſſe paulò antè oſtendimus) ſed apud Catholicos controuerſum, quòd Papa Principes depriuandi poteſtatem non habeat, & inſuper ſi veriſſimum ſit, quòd *poteſtas, quæ non omnino certa, ſed probabilis, non poſſit eſſe fundamentum quo immediatè aliquis puniatur, & iure ſuo ac dominio* (vt rectè dixit *Leonardus Leſſius* [r]) *priuetur,* & proinde non ſit *vera, realis, propria, ſufficiens,* ac *legitima* depriuandi *poteſtas,* & quòd *aperta ſit iniuſtitia in Papa,* & conſequenter crimen læſæ Maieſtatis in ſubdito, Regem

q S. Thom. 2ª. 2æ. q. 11. ar. 2. Bannes ibidem. Turrecremata in Summa de Eccl. lib. 4. part. 2. cap. 10. Canus lib. 12. de locis, cap. 7. Directorium Inquiſitorum part. 2. comment. 27. Franciſcus de Chriſto in lib. 3. ſent. diſt. 25. in q. de hæreſi, in Excurſu de Catholica veritate. Alphonſ. de Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes, cap. 8. Coarruuias lib. 4. variarum reſolut. cap. 14. Molina 1. part. q. 1. ar. 2. diſp. 1.

r In cius Singletoro part. 2. nu. 38.

Regem aliquem sua Corona & Regno priuare, qui ius probabile, & simul possessionem habet, vt optimè asserit *Matthæus Kellinsonus*[f], & proinde quòd nulla sententia etiam depriuationis per Papam facta contra quemcunque Regem, qui antea verus & legitimus Rex erat (quantumcunque quoad *speculationem* probabile sit esse in Pontifice potestatẽ Principes depriuãdi) possit efficere, quin Rex ille per Papã priuatus, non obstante tali depriuationis sententia, ius saltem *probabile* ad Regnum, & simul *possessionem* habeat, ex prædictis *duobus principijs*, quæ sanè verissima sunt, manifestè consequitur, esse *apertam iniustitiam in Papa*, & perduellionem in subdito, & consequenter *impium, damnabile*, atque illis Sacræ Scripturæ verbis, *Non furtum facies, Non occides*[t], *Quis extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit*[u]? *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*[x], indirectè saltem, & per necessariam consequentiam repugnans, *Principes per Papam depriuatos deponere aut occidere.*

[f] *In Tractatu de Ecclesiastica & Regia potestate, cap. 11. pag. 235.*

[t] *Exod 20.*

[u] *1 Reg. 26.*

[x] *Matth. 22.*

50. Atque hinc satis perspicuum est, in istis *tribus* Iuramenti *Clausulis*, quas præ cæteris præfati *Societatis Iesu* Doctores celeberrimi, *Card. Bellarminum* sequuti, tanquam fidei & saluti repugnantes impugnandas susceperunt, et contra quas magno verborum strepitu, sed exigua aut nulla argumentorum efficacitate inuehuntur, nihil *fidei*, aut *saluti repugnans* contineri, & consequenter reliquas omnes quę subsequuntur *clausulas*, & quarum veritas ex præcedentium *veritate* ac *iustitia* omnino pendet, (nempe *quòd nec Papa, nec vlla alia persona potestatem habeat* me ab *hoc Iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi*, quòd *sit recta ac plena authoritate mihi legitimè ministratum, & omnibus indulgentijs & dispensationibus in contrarium, renunciem*, & quòd *voluntariè, cordialiter, syncerè,*

syncerè, absque vlla æquiuocatione, aut mentali reseruatione, iuxta hæc expressa verba à me prolata, & iuxta planum & communem sensum eorundem verborum illud suscipiam) adeo manifestas esse, vt nihil momenti contra illas obijci possit : Quas omnes *clausulas*, quæque contra eas, totumque Iuramentum vel generatim, vel speciatim obijci solent, *Sanctitas Vestra*, si vel pauculum temporis ad grauissimam hanc controuersiam examinandam insumere velit, à *Widdringtono* fusiùs, sed in *Strena Catholica* pressiùs & dilucidè explicatas videbit.

51. Quæ cùm ita sint, *Vestræ Beatitudinis* prudentiæ, charitati, ac iustitiæ iudicandum relinquimus, vtrùm prædicta *Breuia*, & *Decreta*, in tam *falsis suppositionibus* fundata, iusta vel iniusta sint, Angloſque Catholicos ad ea cum maximo eorum præiudicio obseruanda obligare queant, quàmq; iniurioſum, calumnioſum, & à charitate Christiana prorsus alienum, atque notissimis *Theologiæ*, *Iurisque Pontificij* principijs dissentaneum sit, nos, cæteroſque Catholicos doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes, de culpabilis *inobedientiæ*, & *rebellionis contra Sedem Apostolicam* noxa arguere, eò quòd *declaratiuis* Vestri Prædeceſſoris *Breuibus* Iuramentum prohibentibus non adhuc acquieſcamus, cùm idem *Widdringtonus* per plures literas, & Supplicationes typis etiam excusas, *Suæ Sanctitati* rationes humiliter propoſuerit, ob quas Catholici Angli non ſolùm dubitant, ſed firmiter ſibi perſuadent, prædicta *Breuia* iniusta esse, atque in prædictis *duabus*, quas suprà retulimus, *falsis suppositionibus* fundata, & proinde ad ea cum extrema fortunarũ ruina, *Proteſtantium* ſcandalo, *Suæque Maiestatis* iniuria ſtrictè obſeruanda, donec *Sanctitas Sua* eorum rationibus ſatisfacere dignetur

(quibus

(quibus tamen non adhuc ſatisfecit) eos obligare nequaquam poſſe. Conſtat enim ex veriſſimis *Theologiæ, Iuriſq; Canonici* principijs, non teneri ſubditum *Prælati* ſui mandato, quod in tertiæ perſonæ præiudicium tendit, obedire, quando dubitat ſubditus, & à fortiori quando certiſſimè exiſtimat, iniuſtum eſſe illud, quod à *Prælato* præcipitur, dummodo rationes ſui dubij *Prælato* humiliter proponat.

52. Nam *Prælati & Iudices*, ait doctiſsimus *Soto*, *non ſunt in poſſeſsione reſpectu ſubditorum, niſi quatenus iuſta præcipiunt; & ideo quando dubium eſt, an præcipiant iuſtum, tunc ſi ſit in præiudicium tertij, quia ille tertius eſt etiam in poſſeſsione ſuæ famæ & bonorum, in eā partem inclinandum eſt, vbi eſt minus periculi. Neque Prælati, qui præcipiunt vnde nullum periculum Religioni, aut Reipublicæ, aut tertiæ perſonæ timetur, conſtringuntur rationem reddere, ſed ſimpliciter parendum eſt illis etiam in dubijs, vt ſupra dictum eſt, quia tunc nullum eſt periculum, ſi Iudex præſumatur iuſtè præcipere. Quando verò eiuſmodi periculum imminet, tunc ſi ſubditus dubitat, nihil facit contra obedientiam, ſi exigat à Prælato rationem præcepti, proponens humiliter rationes dubitandi.* Ita *Sotus*.

Sotus de deteg. ſecreto memb. 3. q. 2. in reſp. ad 1.m

53. Atque hæc eius doctrina non ſolùm Theologiæ principijs, ipſique rationis naturalis lumini, ſed etiam *Iuri Canonico* eſt quàm maximè conſentanea, & ab *Alexandro* Papa Tertio circa *Breuia*, ſeu *Reſcripta Apoſtolica* verbis expreſſis tradita: *Si quando*, ait *Pontifex* ad Archiepiſcopum Rauennatem ſcribens,[y] *aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij pro quo tibi ſcribitur diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrū reuerenter adimpleas, aut per literas tuas quarè adimplere*

[y] *Extrà de Reſcriptis, cap. Si quando.*

non possis rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua fuerit nobis insinuatione suggestum. Vnde *Glossa, Ioannes Andreas, Petrus de Ancharono, Panormitanus, Felinus,* & omnes communiter Canonistæ illum *Alexandri* Papæ *canonem* exponentes, hanc regulam generalem tradunt, quòd *mandatum Superioris vel debeat adimpleri, vel ratio reddi quare non adimpleatur.*

54. Quibus omnibus rite perpensis, quis timoratæ conscientiæ Catholicus, & vel *Sacram Theologiam,* vel *Ius Canonicum* mediocriter callens, audeat in Anglos Catholicos vllum *inobedientiæ,* aut *rebellionis* contra *Sedem Apostolicam* crimen conijcere, eosque tanquam Ethnicos & Publicanos, ac Sacramentorum perceptione & communione Ecclesiastica indignos, omnibusque suis facultatibus, & Sacerdotali Iurisdictione priuatos traducere, eò quòd prædictis *Breuibus,* tam *Suam Maiestatem,* quàm *seipsos, totumq; Regnum* adeo *exasperantibus* obedire hucusque refugerint, quandoquidem, iuxta prædictam *Alexandri* Papæ, omniumque Canonistarum regulam, rationes tam manifestas, quibus adhuc satisfactū non est, humiliter reddiderunt, ob quas arbitrantur, *Breuia* illa *declaratiua* omnino iniusta esse, & praua quorundam, præsertim *Card. Bellarmini,* insinuatione *Summo Pontifici* suggesta, atque manifestè *falsis suppositionibus,* & *rationibus fundamentalibus* innixa, quæque proinde maiorem vim obligandi habere non possunt, iuxta verissimam *Francisci Suarez* doctrinam supra relatam, quàm habeat *ratio fundamentalis,* quam supponunt & declarant. [a] *Num. 47.*

55. Iudicet iam *Sanctitas Vestra,* quàm indignè, irreligiosè, parumque Christianè nos Angli Catholici doctrinæ

doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes, (quam ſtatim retractare, ſi *Sedes Apoſtolica* aliquam particularem propoſitionem in libris eius contentam, quæ fidei, aut ſanæ doctrinæ repugnet, nobis notam faceret, paratiſſimi ſumus, quod etiam ipſemet *Widdringtonus* ſæpiùs ſcriptis publicis proteſtatus eſt) *Veſtræ Beatitudinis, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ* filij obſeruantiſſimi, quique pro fide Catholica Romana palam agnoſcenda ipſam etiam mortem ſubire non pertimeſcimus, ab Anglis quibuſdam, præſertim *Ieſuitis*, per plurimos iam annos oppreſſi fuerimus, magíſque indies opprimamur, eò quòd *falſæ* eorum *fidei Catholicæ*, de Principibus authoritate Papali deponendis, atque etiam, ſi opus ſit, interimendis, *Veſtrique Prædeceſſoris Breuibus* Iuramentum prohibentibus, in *falſa* illa *fide* potiſſimùm fundatis, tutâ conſcientiâ, & ſalua fide Catholica, ac temporali noſtra fidelitate *Regi* noſtro *Sereniſſimo* ex lege Chriſti debita (ob rationes tam ſolidas, quas *Suæ Sanctitati* notas fecimus, quæque, iuxta *Iuris Canonici* præſcriptum, ab omni *inobedientiæ* nota nos liberare ſufficiunt) acquieſcere non adhuc poſſimus. Et certè ſi *Sanctiſſima* veſtra *Paternitas* ſeriò ſecum cogitaret, quàm intolerandas perſequutiones & calumnias, nos *Eccleſiæ Romanæ* filij obſequentiſſimi (ob doctrinam, quæ apud eruditos Catholicos controuertitur, propugnandam, quæque à *Senatu Pariſienſi* pluribus *Arreſtis* ſub pœna læſæ Maieſtatis condemnata eſt, & quæ ab *ipſomet Domino Papa in Francia toleratur, nec impedire debet*, teſte *Card. Perono, reunionem eorum, qui Eccleſiæ reconciliari deſiderant*) longo iam tempore hîc in Anglia, cum maximo *Eccleſiæ Romanæ* ſcandalo, perpeſſi fuerimus, nequaquam profectò ambigimus, quin

ſeria

ſeria tam grauium noſtrarum, & ſcandaloſarum oppreſſionum recogitatio, ad nobis tam iniquè oppreſſis tandem aliquando commiſerandum, ad pacem in *Eccleſia Anglicana* ob opiniones tantùm in controuerſia poſitas, à *Patribus* præſertim *Ieſuitis*, eorumque ſequacibus tam miſerè diſtracta, quamprimùm conciliandam, atque ad eos, qui præcipui tantarum perturbationum Authores extiterunt, *falſamque fidem Catholicam* in re tam graui, qualis eſt debita noſtra Deo aut Cæſari fidelitas, confingere & propugnare per fas & nefas præſumpſerunt, grauiſſimè caſtigandos, tenerrima *paternæ* veſtræ *charitatis* (cuius ſingulare ſpecimen in ipſomet Pontificatus ſui primordio iam dediſſe Chriſtiani omnes gaudent, laudant, & mirantur) viſcera commoueret.

56. Hactenus enim opprobria & calumnias non ferendas animo tranquillo tulimus, noſq; tanquam hæreticos, à fide Apoſtatas, Eccleſiæ Romanæ hoſtes, in Sedem Apoſtolicam rebelles, communione Eccleſiaſtica indignos, & facultatibus priuatos à *Patribus Ieſuitis*, eorumque ſequacibus, & potiſſimùm ab indoctis quibuſdam fœminis [a] (quæ *Patribus Ieſuitis* ſe totas deuouerunt) falsò & per calumniam traduci, & tanquam *purgamenta huius mundi omnium peripſema factos*, à communibus etiam eleemoſynis excludi patienter & pacificè ſuſtinuimus, neque tam eos, qui nos falsò & iniquè calumniati ſunt, offendere, quàm

[a] *Iſtæ fœminæ à plurimis noſtratibus tam Catholicis quàm Proteſtantibus* Ieſuitiſſæ, *& Ambulatoriæ Moniales appellantur: de quorum nouo & ante hæc ſecula planè inaudito vitæ inſtituto*, Anglis *quidem* Ieſuitis *pro tempore ſatis commodo, ſed quamplurium prudentum & expertorum iudicio, tum fœminis ipſis, earumque Sodalitati periculoſo, tum toti* Ieſuitarum *Ordini portentoſo & malè ominoſo, nihil amplius impræſentiarum dicemus; confiſi, eas in poſterum cautiores futuras, & linguis ſuis maledicis frænum impoſituras, neque deinceps ſub fuco zeli, & ſpecioſo* Patres *ſuos* Ieſuitas *ſuper ſydera extollendi, prætextu (vt ita omnes vtriuſque ſexus Catholicos ad eos facilius alliciant) aliorum Sacerdotum tam Secularium quàm Regularium famam, ſubdolè & malis artibus, quas nunc tacebimus, denigraturas: Quod in præſenti* Veſtræ Sanctitati, Reuerendoque *admodum Patrum Ieſuitarum* Generali *tantùm inſinuaſſe, quò futura ſcandala præcauentur, ſatis erit.*

noſmetipſos,

noſmetipſos, noſtramque innocentiam ſolidis, mollibuſque reſponſis defendere hucuſque conati ſumus: plurimùm confiſi, quòd patientia, & ſyncera noſtra tum pacis & vnitatis inter Catholicos conſeruandæ, tum veritatis Catholicæ inueſtigandæ, & cognita propugnandæ auiditas, eorum animos temporis progreſſu emolliret, iſtudque ſaltem efficeret, vt, poſtquam ipſi manifeſtè perſpicerent, *nouam* hanc *fidem Catholicam*, de poteſtate Papali Principes deponendi, quæ horum omnium tumultuum radix & origo extitit, non eſſe in veris & antiquis fidei Catholicæ regulis atque principijs ſufficienter fundatam, & proinde neque nos in ea abneganda, ſed ſemetipſos in ea tam acriter & turbulentè propugnanda egregiè allucinatos eſſe, à nobis vlteriùs ea de cauſa maledicendis, & iniuriosè opprimendis, ob pacis Eccleſiaſticæ & fraternæ charitatis bonum tandem abſtinerent.

57. Veruntamen cùm longa hac noſtra patientia abuti, noſque ad extrema quæque tentanda, innocentiæ noſtræ defendendæ gratia, compellere noſtrates *Ieſuitæ*, eorumque hac in re aſſectatores gratum habere videantur, haud indignè ferant, ſi nos deinceps non per modum *defenſionis* tantùm, ſed *iuridicæ* etiam *accuſationis* contra eos procedamus, neque *reorum*, ſed *actorum* perſonas poſthac induamus. Nam certè, ſi ab iniquis ſuis obtrectationibus, & irreligioſis machinationibus quamprimùm non deſiſtant, ſed nos, cæteroſue doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes, à communione Eccleſiaſtica, & Sacramentorum participatione tanquam Ethnicos, aut Publicanos excludere in futurum præſumant, nos breuî præcipuos eorum, qui nos tam dire perſequuntur, non verbis tantùm gene-

ralibus, ſed nominatim de grauiſſimis criminibus apud *Veſtram Beatitudinem, Sanctamq; Sedem Apoſtolicam* accuſabimus, et ſalua ſemper pace ac vnitate Eccleſiaſtica, eorumque conſcientijs ſolius Dei, qui corda et renes ſcrutatur, iudicio relictis, eos in iudicium adducemus;

58. *Inprimis* de *Schiſmate*, eo quòd Eccleſiæ Anglicanæ pacem ac vnitatem diſcindere, viroſque Catholicos, et qui Eccleſiæ Catholicæ Romanæ iudicio ſe in omnibus ſubmittunt, ob opiniones, quas *ipſemet Dominus Papa in Francia tolerat, quæque impedire non debent reunionem eorum*, qui extra Eccleſiam ſunt, et *Eccleſiæ reconciliari deſiderant*, à communione Eccleſiaſtica, et participatione Sacramentorum excludere non vereantur. *Secundò*, de calumnia, eo quòd viros Catholicos, et qui Eccleſiæ Romanæ filios obſequentiſſimos ſe eſſe palam, ſyncerè, et coram Deo profitentur, tanquam hæreticos, à fide Apoſtatas, Pſeudo-Catholicos, in Sedem Apoſtolicam rebelles, Eccleſiaſtica communione indignos, et vel excommunicatos, vel Iuriſdictione Sacerdotali priuatos, contra veras, antiquas, et indubitatas *fidei Catholicæ*, et *Iuris* etiam *Canonici* regulas traducere non pertimeſcant. *Tertiò*, de *crimine falſi*, ac *impoſturæ*, eo quòd *falſam fidem Catholicam*, contra veriſſimas *fidei Catholicæ*, et *Sacræ Theologiæ* regulas, procudere, propugnare, et cæteris omnibus Catholicis contra ſentientibus per vim obtrudere non reformident. *Quartò*, de *ſcandalo* non tantùm *accepto*, ſed multifariam *dato*; eo quòd in rebus maximi ponderis, vtpote ad debitum noſtrum ex lege Chriſti Deo et Cæſari obſequium ſpectantibus, *falſam fidem Catholicam* vijs indebitis, per fas et nefas, vi et potentia humana

ſtabilire

ſtabilire conantes, atque ita vera et antiqua fidei Catholicæ fundamenta, regulas et principia quantum in ipſis eſt ſubuertentes, multiplicem non vni vel alteri, ſed vniuerſo fermè humano generi, Pontificibus, Regibus, ſubditis, Catholicis, hæreticis, atque infidelibus ruinæ occaſionem præbeant. Quòd autem *neceſſaria* veritatis Catholicæ defenſio, et falſæ fidei in rebus præſertim quæ ad fidelitatem ſpectant, impugnatio non niſi *paſſiuè* ſcandaloſa eſſe queat, et proinde doctrinam *Widdringtoni*, vel *falſam fidem Catholicam*, de poteſtate Papali Principes deponendi et occidendi, à *Ieſuitis* potiſſimùm adinuentam et ſuſtentatam impugnantis, vel *Breuia* Summi Pontificis Iuramenti ſuſceptionem prohibentia in falſis ſuppoſitionibus, et in prædicta illa *falſa fide Catholica* præcipuè fundata non admittentis, (eo modo quo *Widdringtonus* eas quæſtiones tractat) non eſſe *actiuè* ſcandaloſam, aut vllam *dati ſcandali* occaſionem præbere poſſe, tum ipſemet *Widdringtonus* [b] clariſſimè commonſtrauit, tum quiuis vir eruditus, qui *ſcandali* naturam, definitionem, et conditiones à Theologis traditas expendet, luce meridiana clariùs perſpicere poteſt. *Quintò*, de *proditione* & *læſa Maieſtate* in Sacro-ſanctam Chriſti Eccleſiam: nam ſicut cuſor falſæ monetæ proditor eſt in Regnũ, ita qui falſam fidem Catholicam cudit, in Eccleſiam perduellis cenſetur. *Sextò*, de *læſa Maieſtate* in Principes Chriſtianos, eo quòd *falſam fidem Catholicam*, & doctrinam non *neceſſariam*, quæ Principum Coronis iniuriam, eorumque Capitibus periculum affert, & in *Francia* pluribus Arreſtis ſub pœna *læſæ Maieſtatis* condemnata eſt, tueri, atque factionibus ſtabilire non perhorreſcant. De iſtis ſex criminibus niſi Aduerſarij

[b] *In Præfat. Reſp. Apolog. & nu. 21. & ſeq. & in Diſput. Theol. cap. 10. ſec. 3.*

pacem *Eccleſiæ Anglicanæ*, quam iniquè abſtulerunt, confeſtim reddant, eorum præcipuos apud *Veſtram Beatitudinem* nominatim accuſabimus, & contra eos cœlũ & terram, Deum, Angelos, Sanctos, Pontifices, Reges, totumque Chriſtianum orbem pro iuſtitia inuocabimus.

59. Itaque falſum, ſcandaloſum, atque tam *Sedi Apoſtolicæ*, quàm *Principibus ſupremis* iniurioſum illud eſt, in quo quidam ex noſtris Aduerſarijs plurimùm gloriantur, quodq; maiorem nobis indies inſultandi, & in ſolitis ſuis calumniationibus perſeuerandi illis animum addit, nempe *Widdringtonum*, cæteroſque eius doctrinæ adhærentes, non *Sedis Apoſtolicæ*, quam tanquam matrem venerari deberent, ſed contra *Sedem Apoſtolicam* Principum etiam hæreticorum cauſam agere, & *Sedis Apoſtolicæ* authoritatẽ cum hæreticis, & Eccleſiæ Romanæ hoſtibus, *Caluino*, *Luthero*, & *Marſilio Patauino* impugnare: at verò *Card. Bellarminum*, cæteroſque eius doctrinæ adhærentes, *Sedis Apoſtolicæ* patrocinium ſuſcipere, & contra hæreticos, & iniquos Principes poteſtatem Eccleſiaſticam ſeu Pontificiam propugnare, & proinde nobis ſperandum non eſſe, quòd vllus *Summus Pontifex* vel *Breuia* & *Decreta* in fauorem ſuæ poteſtatis ſemel facta vnquam reuocare, vel eos, qui in eius authoritate promouenda quantumuis plùs nimio efferueſcant, duriùs increpare, vel aliquod remedium contra eos, qui nos perſequuntur, nobis adhibere, quin potiùs nos pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, quamdiu cum *hæreticis*, & *Eccleſiæ hoſtibus* eius poteſtatem abnegamus, caſtigare voluerit.

60. Neque enim nos (*Pater Sanctiſſime*) doctrinæ *Widdringtoni* (ſeu potiùs veterum Eccleſiæ primitiuæ Patrum,

Patrum, quamque *Francia* ſemper vti certam tenuit, & *Widdringtonus* præ cæteris horum temporum Theologis neruoſiùs defendit, quam idcirco doctrinam *Widdringtoni* vocamus) adhærentes, vllum fidei verè Catholicæ dogma, ſed ſolummodò *falſam fidem Catholicam*, à quibuſdam recentioribus Theologis, in maximum *Romanæ Eccleſiæ* ſcandalum, & ſummam *poteſtatis Regiæ* derogationem, contra approbatas fidei Catholicæ regulas nuper adinuentam reijcimus, neq; vllam planè *Sedis Apoſtolicæ* poteſtatem, quam illi competere certò conſtat improbamus, ſed ſolùm certa ab incertis, vera à falſis, & Catholica dogmata ab opinionibus ſeparamus, illamque duntaxat *Summi Pontificis* authoritatem, quæ dubia & incerta eſt, & apud eruditos Catholicos, Sedique Apoſtolicæ addictiſſimos in controuerſia poſita, non eſſe pro certa, indubitata, & ab omnibus ſub pœna hæreſis, aut æternæ damnationis neceſſariò admittendam contendimus. Neque etiam nos cum *hæreticis*, *ſchiſmaticis*, aut *Eccleſiæ hoſtibus* (vti *D. Schulckenius* [c] *Widdringtono* per calumniam imponit) ſed cum doctiſſimis Catholicis, & deuotiſſimis Eccleſiæ Romanæ filijs in hac Summi Pontificis poteſtate Principes deponendi, tanquam re de fide certa & ab omnibus neceſſariò credenda, impugnanda coniungimur: Neque *Caluinus*, *Lutherus*, *Marſilius Patauinus* idcirco hæretici vel Eccleſiæ hoſtes reputati ſunt ab ijs, qui de hæreſibus ſcripſerunt, eo quòd hanc Summi Pontificis poteſtatem Principes deponendi improbare auſi fuerint: Neque etiam eos Catholicos, qui omnem illam authoritatem, quam quidam Summorum Pontificum poſterioribus hiſce ſeculis vel ſibi arrogarunt, vel plu-

[c] *cap. 1. ſuæ Apolog.*

rimi Doctores Catholici illis competere arbitrantur, non admittunt, quando alij contrà pugnant Catholici perdocti, idcirco tanquam *Eccleſiæ Romanæ, Sediſq; Apoſtolicæ hoſtes* traducendos quiſquam vir pius & eruditus affirmabit.

61. Quis enim Catholicus pius, ac eruditus illum inſolentiſſimæ, & ſcandaloſæ admodùm temeritatis & calumniæ meritò condemnandum, & grauiſſimè caſtigandum non iudicaret, qui vel Illuſtriſſimum *Cardinalem Bellarminum*, alioſque doctiſſimos Theologos, eo quòd cum *hæreticis* & *Romanæ Eccleſiæ hoſtibus*, *Caluino*, *Luthero*, *Marſilio Patauino* directum Summi Pontificis in temporalibus dominium, ſeu temporalem eius iure diuino Monarchiam vehementer impugnent; vel *doctiſſimum Soto*, alioſque Thologos quamplurimos, eo quòd cum *ijſdem Eccleſiæ Romanæ hoſtibus* poteſtatem Summi Pontificis in matrimonio rato non conſummato diſpenſandi (non obſtantibus tot Summorũ Pontificum ea in re diſpenſationibus pluribus eorum Bullis & Breuibus confirmatis) acerrimè refellant, vel *Theologos Pariſienſes*, quorum doctrinam doctiſſimus *Victoria* probabilem eſſe affirmat [d], eò quòd ſuperioritatem Summi Pontificis ſupra Concilium generale, & infallibilem eius res fidei certò definiendi poteſtatem, non obſtante *Lateranenſi Concilio* vltimo, quod rem iſtam teſte *Card. Bellarmino*, * *expreſsiſsimè definiuit*, cum prædictis Eccleſiæ Romanę hoſtibus reijcere & refutare non vereantur, *Caluino*, *Luthero*, *Marſilio Patauino* aſſimilare, & tanquam hæreticorum fautores, aut Eccleſiæ Romanæ hoſtes per calumniam traducere, neque eos, quantumcunque per iniuriam opprimantur, à *Sede Apoſtolica* vnquam audiendos,

[d] *Relect. 4 de poteſt. Papę, & Cõcil. propoſ. 3.*

* *Lib. 2. de Cõcil. cap. 13.*

audiendos, quin potiùs quamdium hæreticis, & Ecclesiæ Romanæ hostibus in impugnanda potestate Pontificia se iungant, grauiter puniendos affirmare non pertimescerent? Qui autem palam asserere non verentur, nolle *Romanos Pontifices* Ecclesiæ Romanæ filijs iustitiam facere, neque *Breuia*, & Decreta vel sua, vel Prædecessorum, vel *Illustrissimorum* S. R. E. *Cardinalium*, postquam ea iniusta esse, & in falsis informationibus, aut suppositionibus fundata, atque in tertiæ personæ, præsertim *Regiæ Maiestatis*, præiudicium condita perspexerint, eò quòd in Pontificiæ potestatis fauorem tendant, rescindere & reuocare, quin potiùs eos Catholicos, qui optimis rationibus moti eiusmodi iniustis, & *Regiæ Maiestati* iniurioſis *Breuibus*, & *Decretis* obsistunt, pœnis & Censuris Ecclesiasticis castigare velle, *Sedem Apostolicam*, Regibus, ac Principibus, quorum *ad exemplum totus componitur orbis*, quantum in ipsis est, exosam reddunt, atque hæreticis in hæresi sua persistendi, neque ad Ecclesiæ gremium reuertendi, & Catholicis præsertim infirmioribus ab *Ecclesiæ Romanæ* vnitate discedendi, atque ad *Turcismũ*, *Paganismum*, vel planè *Atheismum* deflectendi non exiguam occasionem subministrant.

62. *Denique* falluntur *Aduersarij* si existiment, nos minis, terroribus, pœnis, aut Censuris Ecclesiasticis, quas ipsi nobis minitantur, ab innocentia nostra vijs licitis defendenda, & à *falsa fide Catholica*, in rebus præsertim, quæ ad debitam nostram fidelitatem *Deo* & *Cæsari* exhibendam spectant, impugnanda vnquam, Deo volente, absterrendos. Neque enim æternæ salutis nostræ tam negligentes sumus, vt *Censuras Ecclesiasticas*, quæ, teste *S. Augustino* [c], pœnis quibuscunque tempo-

[c] *Lib. 1. contra Aduersarium legis & prophet. cap. 17.*

temporalibus grauiores ſunt, ſi iuſtæ ſint, & ob verũ crimen nobis inflictæ, non plurimùm timeamus; Neque tam timidi, & puſillanimes, vt Cenſuræ iniuſtæ, & ob crimen non verum, ſed duntaxat præſumptum, à *doctrina neceſſaria* propugnanda, & à *falſa fide Catholica* in rebus præſertim maximi ponderis (qualis hæc eſt de Principibus authoritate Papali deponendis & occidendis) refutanda nos dimouere poſſint: Neq; *Sacræ Theologiæ, Iuriſque Canonici* tam ignari ſumus, vt neſciamus, *Cenſuras Eccleſiaſticas*, iuxta approbatam *Theologorum*, & *Iuriſprudentium* doctrinam [f], ſi iniuſtæ ſint, & non pro vera culpa infligantur, *in conſcientia non obligare*, nec coram Deo, & in foro animæ, ſeu interno *Iuriſdictionem tollere*, aut *ſuſpendere*, ſed *parum plus nihilo valere niſi in foro externo*, ſeu contentioſo, & *ad ſcandalum vitandum*; neque *animam* ſeu conſcientiam *lædere* (niſi forſan eorum qui eas iniuſtè infligunt) ſed *læſam ſupponere*, & in peccati commiſſi *pœnam*, ſeu potiùs *medelam* infligendas eſſe; ideoque *interdum contingere*, [g] *vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus*. Et proinde in hac cauſa noſtra, quam iuſtiſſimam eſſe coram *Deo*, & in conſcientia nobis perſuademus, illud *Chriſti Domini* monitum aſſiduè meditamur, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*. Quapropter ſicut pro *vera fide* Catholica Romana palam agnoſcenda ipſam etiam mortem ſubire, Dei gratia adiuti, non pertimeſcimus, ita pro *falſa fide* Catholica Romana, quæque præſertim tum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ tam ſcandaloſa eſt, vti diximus, tum Principibus Chriſtianis tam iniurioſa

[f] *Vide Nauarrum in Enchiridio cap. 27. nu. 3. Sayrum lib. 1. de Cenſuris cap. 17. Suarez diſp. 4. de Cenſuris ſec. 12. nu. 6. & alios, qui de Cenſuris ſcribunt.*

[g] *Innocentius 3. extra in cap. A nobis de ſentent. Excom.*

Matth. 10.

iniurioſa & periculoſa, palam abneganda, nec minas, nec terrores, nec Cenſuras Eccleſiaſticas, aut alias quaſcunque perſequutiones, Deo nos adiuvante, formidabimus; ſed aureum illud doctiſſimi, & deuotiſſimi *Ioannis Gerſonis* documentum, quo Romanæ Eccleſiæ filios inſtruit, quando, & in quo caſu licitum ſit *dogmatizare contra ſententiam Papæ* (ſunt enim *Gerſonis* verba) non obſtante *proſequutione ſententiarum, & pœnarum contra ipſos*, ante oculos mentis noſtræ poſitũ ſemper habemus, & conſolamur nos inuicem in verbis iſtis, *Beati, qui* (ſiue in Anglia, ſiue in Francia, Hiſpania, Germania, Italia, Curia Romana, aut vſpiam alibi) *perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* *Matth. 5.*

63. Vt igitur huic noſtræ *Supplicationi, Appellationi*, eiuſdemque *proſequutioni* finem imponamus, *Veſtram Beatitudinem* (ad quam de nouo, ob rationes ſuprà & in noſtra *Apellatione* memoratas, ab Illuſtriſſimis *Dominis Cardinalibus* ad Indicem deputatis, alijſque quibuſcunque, & à quacunque ſententia ſiue definitiua, ſiue interlocutoria, aut alio quouis nomine nuncupetur, ab ipſis, aut alijs quibuſcunque intuitu prefatæ *Widdringtoni* doctrinæ, aut vllo ad eam reſpectu habito, vel iam lata & denunciata, vel deinceps ferenda & denuncianda immediatè appellamus & prouocamus) per viſcera Chriſti ſuppliciter deprecamur; *Primò*, vt non grauetur hanc noſtrã, quinetiã *Veſtrã*, & omnium *Principum* præſertim *Chriſtianorum* cauſam diligenter expendere, neque Ill^mi *Cardinalis Bellarmini*, eiuſq, ſequacium (quorũ plurimos nobis infenſiſſimos & implacabiles Aduerſarios reputamus) informationibũs nimiùm confidere, ſed quod rectum & iuſtum eſt, poſt

maturam cauſæ noſtræ diſcuſſionem, abſque vlla acceptione perſonarum iudicare, neque contra nos, cæteroſque *Anglos Catholicos* doctrinæ *Widdringtoni* adhærentes (quorum hîc in Anglia copioſus eſt numerus) niſi ordine iuris ſaltem naturalis ſeruato, & de particulari aliquo crimine à nobis commiſſo iuridicè admonitos, citatos, auditos, atque defenſos procedere, ſed vel nos à *Card. Bellarmino*, alijſque pluribus præſertim *Ieſuitis falſam* eius *fidem Catholicam* vijs indebitis propugnantibus, vi oppreſſos de manibus calumniantium eruere, noſque omnino innocentes, nullique crimini eo nomine obnoxios declarare, noſtræque famæ ab illis per ſummam iniuriam grauiter læſæ omni meliori modo conſulere velit; vel ſi fortaſſe (quod nõ credimus) *Sanctitas Veſtra* vel proprio ſuo iudicio, vel aliorũ ſuggeſtionibus nos alicuius criminis (cuius adhuc conſcij non ſumus) eo nomine reos eſſe iudicauerit, vt crimen illud non verbis tantùm generalibus, ſed ſpeciatim & particulatim, quò *Sanctitas Veſtra* quid ad illud reſpondere poſſimus intelligat, nobis manifeſtum facere non dedignetur: nam omnia & ſingula à nobis dicta, ſcripta, aut commiſſa, quæ corrigenda ſunt corrigendi, quæ retractanda retractandi, quæ purganda purgandi, & quæ explicanda explicandi, quamprimùm nobis nota fuerint, nos animum paratiſſimum habere, ſyncerè & coram Deo proteſtamur.

64. *Secundò*, vt vel *vnicam* ſaltem noui fidelitatis *Iuramenti* per *declaratiua* Prædeceſſoris veſtri *Breuia* prohibiti *Clauſulam*, quæ fidei aut ſaluti apertè, aut etiam tacitè repugnet, & *vnicam* ſaltem *propoſitionem* in *Widdringtoni* libris, à Sacra *Illuſtriſſimorum Cardinalium* ad

Indicem

Indicem deputatorum Congregatione proſcriptis contentam, quæ ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus verè aduerſetur, nobis, cæteriſque Catholicis Anglis doctrinæ *Widdringtoni* adhærentibus, vt eas deteſtari, abhorrere, & quantùm opus fuerit, retractare, nobis patefacere non dedignetur; vel vt *Breuia* illa Iuramentum prohibentia, eò quòd *multa contineat, quæ fidei & ſaluti apertè aduerſantur*, & *Decreta* illa quoſdam *Widdringtoni* libros verbis tantùm generalibus proſcribentia (quorum vtraque in manifeſtè falſis ſuppoſitionibus fundata eſſe nobis certiſſimè perſuademus) reſcindere, abrogare, & planè irrita & non obſeruanda (ſaluo, quantum fieri poteſt, *Summi Pontificis* honore, & totâ vel præcipuâ in eos, qui eum malè informarunt, culpâ meritò coniecta) declarare quamprimùm velit. Neque enim probro, ſed laudi et honori vertendum eſt *illi Summo Pontifici*, qui *Decreta*, vel ſua vel Prædeceſſorum, quæ in prauis ſuggeſtionibus, ac falſis ſuppoſitionibus fundantur, et in tertiæ perſonæ præſertim *Regiæ Maieſtatis* præiudicium tendunt, reſcindit, et non adimplenda declarat: Nam *patienter ſuſtinere* debet *Summus Pontifex*, (vt *Alexander* Papa tertius [h] ſuprà citatus [i] non minùs doctè quàm religiosè obſeruauit) *ſi non adimpleatur, quod praua inſinuatione illi fuerit ſuggeſtum.*

[h] *In cap.* Si quãdo *de Reſcriptis.*
[i] *Num.* 53.

65. *Tertiò* demùm, vt doctrinam hanc falſam, ſeditioſam, antiquis Patribus incognitam, ab Eccleſiæ primitiuæ praxi alienam, Sedi Apoſtolicæ atque Eccleſiæ Romanæ ſcandaloſam, Principum ſupremorũ Coronis iniurioſam, eorumque Capitibus periculoſam *doctrinam*, atque à *Card. Bellarmino*, alijſque nonnullis recentiorib⁹ præſertim *Societatis Ieſu* Theologis,

viris alioquin eruditis, prudentibus, ac Religioſis, nec tamen eruditè, prudenter, modeſtè, aut religiosè, ſed contra veras, et antiquas tum fidei Catholicæ, tum prudentiæ, modeſtiæ, charitatis et iuſtitiæ Chriſtianæ regulas per plurimos iam annos, proh dolor, propugnatam, *de poteſtate Papali Principes ſupremos in ordine ad bonum ſpirituale deponendi, &, ſi opus fuerit, occidendi*, tanquam *de fide Catholica* certam, *aut ſub pœna æternæ damnationis ab omnibus neceſſariò credendam* (in qua tam *Breuia*, quàm *Decreta* prædicta potiſſimùm fundantur) penit° extirpandandam, atque è Chriſtianorum Scholis omnino explodendam curet. Ita enim tum *pax* et *vnitas Eccleſiaſtica*, quæ à prædictis præſertim *Ieſuitis*, eorumq; aſſeclis per plurimos iam annos hîc in Anglia *ob hanc potiſſimùm doctrinam* miſerè diſciſſa eſt, in integrum reſtitui, et pernicioſiſſimi *Schiſmatis* flamma, quam ijdē hîc in Anglia *ob hanc potiſſimùm doctrinam* iam accenderunt, et in *Francia* etiam accendere, ſed fruſtra et cum non leui eorum dedecore & periculo tentarunt, faciliùs extingui, tum concordia ſtabilis inter *Regnum* & *Sacerdotium* perfectiùs conſeruari, & noſtra, aliorumq; plurium Catholicorum *falſam* hanc *fidem Catholicam* impugnantium, et vſque ad mortem, Dei auxilio, impugnare volentium fama, à prædictis per ſummam iniuriam *ob hanc potiſſimùm doctrinam* grauiter læſa, recuperari vtcunque poteſt.

66. Neque aliam viam commodiorem, et faciliorem, rebus ſic ſtantibus, ad ſcandaloſam hanc controuerſiam componendam, ad pacem in Eccleſia Anglicana reſtaurandam, ad firmam inter Regnum et Sacerdotium concordiam ſtabiliendam, ad prædicta *Breuia* et *Decreta* in falſis ſuppoſitionibus fundata

tacitè

tacitè saltem rescindenda, ad iustitiæ Christianæ, omniumque, quantum fieri potest, famæ et honori prospiciendum, atque ad maiora scandala deinceps sequutura, nisi controuersia hæc pacificè componatur, eo modo quo aliæ quæstiones inter Theologos controuersæ componi solent, deuitanda, Nos cum omni submissione debita loquentes arbitramur, quàm vt *Vestra authoritate* Anglis Catholicis strictè iniungatur, vt paci ac vnitati Ecclesiasticæ conciliandæ et conseruandæ summopere studeant, neque ob *hanc præsertim*, aut vllam aliam controuersiam in disputatione positam, quam *ipsemet Dominus Papa in Francia tolerat, quæque impedire non debet reunionem eorum, qui Ecclesiæ reconciliari desiderant*, inuicem mordeant, pacem et vnitatem Ecclesiasticam scindant, Schisma nutriant, aut quenquã à communione Ecclesiastica, vel Sacramentis, vel communibus piorum eleemosynis percipiendis excludant, sed omnes se mutuò diligant, eademque Christianæ charitatis officia, ac si controuersia hæc nunquã nata fuisset, sibi inuicem exhibeant.

Card. Peronius supra nu. 3.

67. Nihilominùs quæ via magis idonea sit, saluo honore, & conscientia *Sedis Apostolicæ*, ad scandalosam hanc controuersiam componendam, atque adeo ad Schisma deuitandum, Ecclesiæ pacem ac vnitatem conseruandam, Catholicos vi oppressos de manu calumniantium liberandos, *Vestræ Sanctitatis* prudentiæ, charitati, ac iustitiæ iudicandum relinquimus.

Deus Opt. Max. *Vestram Beatitudinem* gratia sua cœlesti illuminet, dirigat & confirmet, vt absque vllo humani respectus intuitu, nec [p] *considerans personã pauperis, nec honorans vultum potentis*, sed *ita paruum audiens vt magnum, nec accipiens cuiusq; personam iustè iudicet proximo*

[p] *Leuit. 19. & Deuteron. 1.*

ſuo, omnique proſpera fortuna in hac vita fruens, ita *Chriſti Domini*, cuius vices gerit, charitatem ac iuſtitiam imitetur, & *Veterum Sanctorum Pontificum* veſtigijs inhęreat, vt poſtea cœleſtis vitæ gaudijs perfrui mereatur æternis. *Datum* & *Actum* Londini in *Carcere Clinkenſi* die 29. Maij 1621.

Veſtræ Beatitudinis, Sanctæq; Sedis Apoſtolicæ

Filij & Serui humillimi,

D. Thomas Preſtonus Congregationis Caſſinenſis Ordinis *S. Benedicti Presbyter Religioſus.*

Fr. Thomas Greenæus Congregationis Hiſpanicæ Ordinis *S. Benedicti Presbyter Religioſus.*

Et quoniam *Sanctiſſimum Dominum Papam*, ad quem immediatè appellamus, perſonaliter adire non poſſumus, cùm in cuſtodia detenti ſimus, neque perſonam aliquam authenticam, & in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam hîc manentem nouimus, cui hanc noſtrã *Appellationem*, eiuſdemque *proſequutionem* intimemus, notificemus, & ab ea cum inſtantia & reuerentia debita Apoſtolos petamus ac requiramus, neque *Procuratorem* ad *Curiam Romanam* mittendi media nobis ſuppetant, cùm ad victum & veſtitum vix neceſſaria ipſimet habeamus, eam idcirco, vt omnibus nota fieret, & citiùs ac ſecuriùs ad *Suæ Sanctitatis* notitiam perueniret, typis imprimendam, & coram idoneis teſtibus, probis & honeſtis Catholicis nobiſcum in eodem

Carcere

Carcere detentis, & ad teſtificandum, nos hanc noſtrã *Supplicationem, Appellationem,* eiuſdemque *proſequutionem* illis notificaſſe rogatis, quorum nomina ſubſcripta ſunt, publicandam curauimus die proxime ſequenti eiuſdem Menſis, et anni.

Roberto Charnock Sacræ Theologiæ Baccalaureus.
Rodulphus Stanford.
Richardus White.
Chriſtopherus Thulis.
Ioannes Barker.
Ioannes White.
Thomas Leke.
Edmundus Canon.
Ioannes Tomſon.
Ioannes Brian.
Ioannes Farmer.
Gulielmus Dauis.

Et ego *Rogerus Widdringtonus* Anglus Catholicus nunc *Londini* præſens, in teſtimonium debiti mei erga *Sedem Apoſtolicam* in ſpiritualibus, et *Regiam Maieſtatem* in temporalibus obſequij, atque in confirmationem veritatis à me per plurimos iam annos palam agnitæ et propugnatæ, huic prædictorum *Reuerendorum Patrum Supplicationi, Appellationi,* eiuſdemque *proſequutioni* aſſentior, ſubſcribo, et iuſtitiam à *Sede Apoſtolica* inſtanter poſtulo; Sicut etiam abſens priori eorundem *Appellationi,* nomine etiam meo ad *Romanum Summumque Pontificem* menſe *Decembris* anni præteriti factæ, expreſſum meum aſſenſum et approbationem in ſcriptis præbui. *Datum Londini* die vltimo Maij 1621. et manu mea propria ſcriptum, et ſignatum.

Rogerus Widdringtonus Anglus Catholicus.

Excerptum ex Concluſione Facultatis Theologiæ Pariſienſis facta 2. Ianuarij 1613.

HONORANDI Magiſtri noſtri Antonius Fayet, Iacobus Hennequin, Hieronymus Parent, & Nicolaus de Paris, Doctores Facultatis, nominati ſunt à Facultate vt adeant Sereniſſimam Reginam, Illuſtriſſimum Franciæ Cancellarium, & Illuſtriſſimum Cardinalem Bonzium nomine Facultatis, die 2. Ianuarij 1613.

De mandato D. Domini Decani & Facultatis.

P. COTEREAV.

SVMMA ACTORVM FACVLTATIS THEOlogiæ Pariſienſis contra librum inſcriptum, *Controuerſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis, &c. auctore R. Martino Becano Societatis* IESV, *Theologiæ Doctore & Profeſſore ordinario. Moguntiæ, Ex officina Ioh. Albini. an. Domini* 1612.

ANNO Domini 1613. die prima Februarij in Congregatione ordinaria ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, Magiſter Antonius Fayet, Doctor eiuſdem Facultatis, retulit die lunæ, ſeptima Ianuarij ſe ex decreto eiuſdem Facultatis vna cum Magiſtris Hieronymo Parent, Nicolao de Paris, & Huberto Tranchant (quem in locum Magiſtri Iacobi Hennequin, ſuis ordinarijs prælectionibus occupati, aſſumpſerat) ſereniſſimam Reginam, & Dominum Cancellarium Franciæ, conueniſſe: huic autem ſummatim narraſſe, quæ acta fuiſſent in congregatione ordinaria Facultatis, die prima Decembr. 1612. & 2. Ianuarij 1613. ſuper quibuſdam nefarijs propoſitionibus collectis ex libro inſcripto *Controuerſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis*, & Magiſtrum Ioannem Filleſac Syndicum, ac Magiſtrum & Fratrem Rogerium Gerard Auguſtinenſem Doctorem eiuſdem Facultatis, dixiſſe Facultati Illuſtriſſimum Cardinalem Bonzium

mandato Reginæ ſibi præcipiſſe, ſignificarent eidem Facultati, vt omnino abſtineret à diſcuſſione illius libri, quoniam Regina ſtatuiſſet alia ratione huic malo prouidere. Sed quoniam hoc negotium permaximi eſſet momenti, viſum fuiſſe ordini Theologico, vt prædictus Magiſter Antonius Fayet, cum tribus alijs Doctoribus ſupra memoratis Sereniſſimam Reginam & Dominum Cancellarium adirent, eamque ob cauſam ſeſe ad illum contuliſſe, vtque de re controuerſa accuratius poſſet iudicare, eidem prædictas propoſitiones cum poſtulatione & inductionibus factis & propoſitis à Magiſtro Nicolao de Paris, in Congregatione primi Decembris 1612. & 2. Ianuarij 1613. ad hunc modum exſcriptas obtuliſſe.

In comitijs ſacræ Theologiæ Facultatis in aula Sorbonæ habitis, more ſolito, Calendis Decembris 1612. honorandus Magiſter Nicolaus de Paris Doctor eiuſdem Facultatis narrauit ſe nuper accepiſſe à viris pijs & doctis, peſſimos rumores exire inter Catholicos, ex quodã libello admodũ nefario & ſcandaloſo, qui inſcribitur, *Controuerſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis, &c. Autore R. Martino Becano Societatis* IESV, *Theologiæ Doctore & profeſſore ordinario, Moguntiæ. Ex officina Ioannis Albini, anno Domini* M.DC.XII. *propterea quod hæ nouæ & periculoſæ aſſertiones in ipſo continentur.*

1. *Pag.* 108. Eſt ergo quæſtio, an Pontifex qui poteſt Reges & Imperatores excommunicare, vt dictum eſt, poſſit etiam deponere, ſi id meriti ſint: negant auctor Iuramenti Fidelitatis, Sacellanus, Barclaius: affirmant CATHOLICI, ET MERITO, &c.

2. *Pag.* 115. Poterat ergo (Pontifex) mandare, vt (Reges leproſi) ſeorſim habitarent, etſi nollent obedire, vt VITA priuarentur, nihil certius. Hinc colligimus Pontificem duplici titulo potuiſſe Reges priuare ſuo Regno. Primo, quia poterat eos, ſi contumaces eſſent, priuare VITA, ergo & Regno: de hoc NEMO DVBITAT, &c.

3. *Pag.* 120. Plus dicam in hac re tantum valuit conſenſus Populi, etiam ſi ſupereſſet LEGITIMVS HAERES, cui Regnum deberetur, & hoc palam omnibus conſtaret, tamen ſi Populus prætermiſſo LEGITIMO HAERE DE *alium delegiſſet*, ille alius fuiſſet VERVS REX, &c.

4. *Ibid.* Quæres, An Pontifex propria auctoritate Athaliam Regno priuauerit, &c. Reſpondeo, & propria auctoritate fecit, &

tamen

tamen opus erat CONSPIRATIONE, &c. *Et paulo post*, subrogato nouo Rege Athaliam Regno spoliauit,&c.

5. *Pag.* 123. dices, Iojada Pontifex non solum Regno, sed etiam VITA priuauit Athaliam, ergo si potestate Pontificis id fecit, sequitur Pontifices veteris Testamenti habuisse potestatem non solùm deponendi,sed etiam INTERFICIENDI Reges,&c. Respondeo, Iojada Pontifex prius priuauit Athaliam Regno,deinde VITA. Itaque priuauit illam Regno, vt Reginam & Publicam personam: Priuauit autem VITA, vt Priuatam personam, &c.

6. *Pag.* 125. ex eodem ergo sic argumentor, quicquid potestatis ac Iurisdictionis permissum fuit Pontifici in Veteri Testamento, hoc etiam in NOVO permissum illi est: at in Veteri permissum illi fuit vt deponeret Reges,si id meriti essent: ergo etiam in NOVO permissum illi hoc est, &c.

7. *Pag.*127. Reges & Principes qui violauerint priuilegia Monasterijs à Pontifice concessa,excommunicandos & sua DIGNITATE AC HONORE priuandos esse.

8. *Pag.* 130. & 131. Tertio, quia vnusquisque id iure facit, quod ex officio facit: at Pontifex quando deponit Reges contumaces, ex officio id facit, ergo IVRE id facit,&c. quia Pontifex est vniuersalis Pastor Ecclesiæ, cui à Christo dictum est, PASCE OVES MEAS,&c. Per CANES intelliguntur, partim Reges & Imperatores,&c. Igitur hi CANES quandiu FIDI *& excitati sunt*, Pastori ad manum esse debent; at *si languidi & otiosi, &c.* mox à Pastore submouendi,& ab officio repellendi sunt. Hoc dictat RECTA RATIO.

9. *Pag.* 133. Quæres, quomodo fiat hæc Depositio? Respondeo,varijs modis fieri potest. Vsitatus modus est hic, vt Pontifex absoluat subditos à debito seu vinculo subiectionis, quo obligati sunt suis Regibus &c.& quidem POTESTATEM ABSOLVENDI accepit Pontifex à Christo his verbis, *Quicquid solueris super terram erit solutum & in cælis:* Est autem legitima causa ex parte subditorum, quando Reges, vel non defendunt subditos à violenta incursione hæreticorum,vel &c.

10. *Pag.* 134. Pontifex potest & alio modo id facere,nempe per viam COMPENSATIONIS, quod sic declaro; inter Reges & eorum subditos est mutua quædam promissio & obligatio,&c. si ergo Reges non præstent fidelitatem, ad quam iure obligantur,

digni sunt, vt nec subditi præstent ipsis fidelitatem, iuxta illud *Frangenti fidem fides frangatur eidem, &c.* NIHIL CERTIVS APVD CATHOLICOS.

11. *Pag.*136. Igitur prima est, vt Rex meritus sit depositionem: nam si meritus non est, deponi non debet. An autem meritus sit, EX PRVDENTI DOCTORVM AC PIORVM HOMINVM IVDICIO æstimandum est, &c.

Quas Propositiones dictus de Paris, mendacijs æque ac imposturis exundare, sibi quidem, cum bona venia Facultatis, videri dixit: nouorum errorum ac criminum defensionem Catholicis affingere: inducere periculosa schismata: deprauare scripturas sacras: atque ex interpretatione falsa & erronea, dominos temporales iuribus suis iniuste spoliare: execrabilem Regum & Principum cædem, tanquam rem licitam & glorioſam Christianis proponere: subindeque publicæ pacis extinctionem, proditiones horrendas, & innumeras populorum strages, rebelliones ac seditiones varias, in regna omnia importare, denique ius diuinum & humanum penitus euertere. Quapropter ne tam pestilens venenorum colluuies sit detrimento Reipubl. Christianæ; præsertim vero, ne regno huic Gallicano causam sui luctus renouet, iam duobus maximis optimis & clementissimis Regibus, ex ipsius sinu Vno eodemque parricidij genere funestissimo & prorsus horribili, abreptis; ipse de Paris, dictæ Facultati supplicauit; vt quid ipsa de eiusmodi propositionibus sentiret nunc quoque palam facere dignaretur. Post quam quidem supplicationem, honorandus Magister Ioannes Fillesac etiam Doctor & Syndicus eiusdem Facultatis dixit se etiam legisse prædictum libellum, nec alium quidem à se pestilentiorem vnquam visum: tamen paucis abhinc diebus hoc mandatum habuisse, ab Illustrissimo Cardinali Bonzio nomine Sereniſſimæ Reginæ, vt significaret ac renunciaret omnibus honorandis Magistris nostris, ipsam prohibere ne quidquam de libello isto nostris in comitijs deliberaretur, nisi aliter edixerit. Quo audito præfatus de Paris, petijt de omnibus & quæ ipse proposuit, & quæ Dominus Fillesac Syndicus respondit, extare monumentum perpetuum in libro ac regiſtro Facultatis, & sibi exemplar hodiernæ Conclusionis in bonum publicum concedi, cui petitioni Vniuersa Facultas annuit.

Insuper quoque se (Antonium Fayet) addidisse, Facultatem more & instituto maiorum consueuisse in rebus etiam leuissimis

&

& ad disciplinam Scholæ pertinentibus, vbi de Regis voluntate ageretur, nunquam litetis parui sigilli, nedum priuatorum relationibus & testimonijs, sed tantum patentibus magno sigillo instructis, fidē habere: Veruntamen in testimonium sui obsequij erga Regem & Reginam matrem, omnem cohibuisse deliberationem super memoratis propositionibus quoad ampliùs de Reginæ voluntate liqueret; Facultatem magnopere vereri, ne posteri in controuersia sollicitata à Becano silentium aut remissionem suam in eam partem accipiant, vt arbitrentur Theologos Parisienses, eandem seditiosissimam doctrinam approbare, & maiorū placita, quibus Regum Christianissimorum vt & alorū omnium vita & suprema autoritas fulcitur, damnare: quanti autem id ad publicam tranquillitatem referat, admirabili prudentiæ ipsius Domini Cancellarij relinquere: interea sacrum ordinem Theologorum omnino percupere, suam fidem atque religionem in tutanda suorum Regum vita & dignitate, nec non etiam in retinenda maiorum doctrina, omnibus perspectam atque exploratam esse.

Dominum Cancellarium vultu maxime beneuolo & humano respondisse, gratissimum se habere Facultatis studium erga personas Regum suorum Christianissimorum, se ordinem Theologorum Parisiensium & Vniuersam Academiam, cui primam suam eruditionem acceptam referebat, semper magni fecisse; Legisse integrum Becani libellum, & valde pernicioſum iudicasse, non solum expedire, verumetiam perneceſſarium esse; tum vt posteri cognoscant doctrinam Facultatis ab ista noua & periculosa doctrina longe differentem esse; tum vt presentissimum remedium contra illam quando in dies gliscit vehementiùs, reperiatur. Porro Facultatem Theologicam prudenter fecisse, quod priuatorum obnuntiationibus & testimonijs præsertim in re tanti momenti non credidisset: Viderent vt circa horam vndecimam se in Regis Lupara sisterent, quoniam eos ad Sereniſſimam Reginam intromittere, eique studium Facultatis commendare vellet, vt reuera fecit.

Prædictum vero Magistrum Antonium Fayet apud Reginam præsente Domino Principe Condeo, Dominis Cancellario, Villa regio, Illustrissimo Cardinali Bonzio, cum permultis alijs viris nobilibus sacri Consistorij, hanc orationem habuisse; Facultatem Theologicam humillime suam Maiestatem obsecrare, diceret

quid vellet, iuberetq; fieri de peſtilentiſſimo libro inſcripto, *Controuerſia Anglicana*, Illuſtriſſimum Cardinalem Bonzium nomine ſuæ Maieſtatis quibuſdam Doctoribus Theologiæ priuatim dixiſſe, ſuam Maieſtatem minime gratum habere Facultatem de memorato libro ſententiam dicere: ſed ſi placeret ſuæ Maieſtati prouidendum eſſe, ne poſteri ſilentium Facultatis hac in parte capiant pro conſenſu & approbatione tam peſtilentis doctrinæ quæ Reges & Principes omni poteſtate & ſuprema auctoritate ſpoliat, ſubditos ad rebellionem & nefarios quoſque ad Parricidia patranda ſolicitat. Tum Sereniſſimam Reginam dixiſſe, vna cum Concilio ſe de hac re acturam ac per Dominũ Cancellarium voluntatem ſuam Facultati Theologiæ declaraturam.

Quocirca die Sabbathi 12. Ianuarij prædictos Magiſtros Antonium Fayet, Parent, de Paris, & Tranchant, circa horam ſecundam pomeridianam D. Cancellarium iterato conueniſſe, vt de Sereniſſimæ Reginæ voluntate certiores fierent: illũ eis dixiſſe; Reginam cùm antea duceret librum Becani non ita communem eſſe, ſed vnum aut alterum exemplum illius extare in Gallijs, prudenter quidem eum potiùs ſilentio obrui, quàm Cenſura notari voluiſſe, idque Do. Cardinali Bonzio ſignificaſſe; veruntamen poſtquam exploratum habuit eiuſmodi librum in multorũ hominum manibus verſari, tandem cenſuiſſe malo huic medendum eſſe & permittendum Facultati vt pro ſua fide, religione & conſcientia de eo libro quæ viderentur, ageret, & decretum quod ſuper ea re faceret, in acta Facultatis referret, vt poſteri ſimilibus occurrentibus controuerſijs libros Facultatis Theologię conſulerent: Magnopere dolendũ eſſe ſacrũ Theologicũ ordinem à quo totũ regnũ Franciæ in rebus ad religionem ſpectantibus, pendere debet, hodie in varia diuortia partium ire, Facultatẽ igitur paci & concordiæ ſalutari omni ſtudio inuigilare debere. Ad hæc prædictum Fayet reſpondiſſe, diuiſionem, ſi quæ eſt inter Doctores Facultatis, non aliunde oriri, quam ex diſſidio iſtius doctrinæ nouæ & exoticæ. Interea ſcire percupere, an D. Cancellarius velit ſibi adferri decretum Facultatis quod ſuper hoc negotio fiet: illum dixiſſe, oportere quidem maiorum doctrinam ſartam tectam à Facultate omni adhibita moderatione retineri ac gratiſſimum eſſe, imo rogare eoſdem Magiſtros ſibi decretum quod conflaretur adferre, ac præterea renunciare Facultati, quoties aliquid negotij emergeret, ipſum conuenirent, nunquam ab eo ſine conſilio & ope certa receſſuram.

Vltimo ijdem Magiſtri Antonius Fayet, Hieronymus Parent, Nicolaus de Paris, & Hubertus Trenchant, hanc ſuam relationē Magiſtro Petro Cottereau apparitori Facultatis in publicis comitijs legendam & recitandam tradiderunt, atque in acta referri, & vna cum decreto Facultatis quod ſuper dicta relatione interueniet, ſibi dari petierunt, vt iuxta mandatum ſibi factum, ad D. Cancellariū omnia deferant, in cuius rei fidem & teſtimonium præſentem relationem propria manu in dicta congregatione obſignarunt die & anno ſupra dictis, Subſcriptum Fayet, Parent, de Paris, Tranchant: verum prædictus Filleſac Syndicus, perlecto quodam exemplo decreti Pontificij continente Cenſuram præfati libelli factam Romæ in Congregatione Dominorum Cardinalium die 3. Ianuarij anni præſentis, eo quòd nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa & ſeditioſa reſpectiuè, in eo reperta fuiſſent; atque ad maiorem rei fidem lectis etiam quibuſdam literis teſtimonialibus Domini Ruperti Epiſcopi Politiani, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ in Gallijs Nuncij, prædictam Doctorum relationem recipi, & in acta referri, atque novum aliquod decretum à Facultate ſuper nefarijs propoſitionibus in ipſa relatione notatis, fieri impediuit; idque prohibere Dominum Franciæ Cancellarium aſſeuerauit, & tanquam Syndicus ne ſuper ea re deliberaretur, interceſſit.

Cenſura libri Becani *Soc.* IESV *à* S. D. N. Paulo *diuina prouidentia Papa* V. *facta.*

CVm nuper in lucem editus fuerit Libellus ſermone Latino conſcriptus, cuius titulus eſt, *Controuerſia Anglicana de poteſtate Regis & Pontificis contra Lancelotum Andream Sacellanum Regis Angliæ, qui ſe Epiſcopum Elienſem vocat, pro defenſione Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, auctore R. P. Martino Becano Societatis Ieſu Theologo; & Profeſſore ordinario, Moguntiæ, ex officina Ioannis Albini anno* 1612. in quo nonnulla falſa, temeraria, ſcandaloſa, & ſeditioſa *reſpectiuè* continentur. Hac re ad S. D. N. diuina prouidentia Paulum Quintum delata; idem Sanctiſſimus præhabita dicti libelli matura diſcuſſione, ægrè ferens pro paſtorali ſollicitudine ſua atque vigilantia, eiuſmodi libros, ex quibus graue

graue aliquod ſcandalum aliquando oriri poſſet, à viris Catholicis in lucem emitti, præfatum libellum omnino prohiberi mandauit, donec corrigatur. Nos igitur Paulus Sfondratus Epiſcopus Albanenſis Sanctæ Ceciliæ, Robertus Bellarminus Sanctæ Mariæ in via, Ioannes Garzia Mellinus Sanctorum quatuor, Fabricius Verallus Sancti Auguſtini, Frater Auguſtinus Galaminus Aræ Cœli titulorum preſbyteri, necnon Aloyſius Capponus Sanctæ Agathæ diaconus S.R.E.nuncupati Cardinales à S.D.N. Paulo diuina prouidentia Papa V. Sanctaque Sede Apoſtolica ſuper librorum permiſſione, prohibitione, expurgatione, & impreſſione in vniuerſa republica Chriſtiana ſpecialiter deputati; prædictum libellum præſenti decreto, iuxta S. D. N. mandatum quocunque idiomate, vbicunque impreſſum, prohibemus, & in ſecunda Claſſe Indicis reponendũ cenſemus, donec correctione approbata, iuxta regulas Indicis denuo imprimatur, decernentes quod nullus deinceps cuiuſuis gradus, & conditionis, ſub pœnis in ſacro Concilio Tridentino & in Indice librorum prohibitorum contentis, audeat imprimere, aut imprimi curare, vel quomodocunque apud ſe retinere aut legere præfatum libellum, & ſub eiſdẽ pœnis quicunque nunc illum habent, vel habuerint in futurum, locorum ordinarijs, ſeu inquiſitoribus ſtatim à præſentis decreti notitia exhibere teneantur. In quorum fidem præſens decretum ſubſcriptum & munitũ fuit ſigillo Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Sanctæ Ceciliæ Epiſcopi Albanenſis, die tertia Ianuarij 1613.

P. Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Sanctæ Ceciliæ
Frater Paulus Picus Secretarius.

Excerptum

Excerptum ex literis Claudij Aquavivæ *Præpositi Generalis Societatis* IESV, *datis Romæ 2. Ianuarij, anno 1613. ad R. P. Christophorum Baltazarem Prouincialem eiusdem Societatis in Prouincia Franciæ super prædicto* Becani *libello.*

CVM primum huc liber ille peruenit, idque in eo deprehensum est quod aliter dictū aut omnino prætermissum oportuit, Censuræ notas illuc remisimus, vt iuxta eas liber emendaretur: atque hoc solum nobis superfuit remedium, vnde speramus Patrem illum cautiorem futurū in posterum, & instrui posse eos qui turbas moliuntur, resque nostras aliter ac par est, interpretantur; non ideo redarguendam Societatem, aut vniuerso corpori adscribendum, quod vnus aliquis quouis modo peccauerit: quando id non modo Societas non admittit, sed etiam manifestè improbat, atque emendare studet, vt à nobis factum est circa opinionem Marianæ de Tyrannicidio.

Item ex literis eiusdem Generalis eodem die scriptis ad R. P. Petrum Cotonum.

ERRORE factum est, quod vehementer doluimus, vt huc liber ille *Becani* non mitteretur recognoscendus. Quod ergo superfuit remedij minime negleximus: quamprimum enim hic liber comparuit, ea notanda curauimus, atque ad eundem Patrem remittenda; quæ vel deleri omnino, vel corrigi oportere deprehensa sunt, vt, quoad licebit emendentur, constetque vnius errorē non esse toti Societati adscribendum, quando eum Societas non adprobat. Deinceps autem speramus fore vt ille Pater sit cautior in scribendo, & præcaueantur omnes eiusmodi offensiones diligentius.

M. Georgij Frogerij Doctoris Sorbonici & Parochi Sancti Nicolai de Cardineto, Iudicium de libro inscripto, *Controuersia Anglicana auctore R. P. Martino Becano, Societatis* IESV *Theologo, &c.*

Excerptum ex eiusdem Frogerij notis in librum de Ecclesiastica & Politica potestate, num. 18.

POSTREMO hoc numero ad finem vsque libelli sui producto author explicat quo modo & sensu Ecclesia vendicare possit sibi potestatem indirectam in temporalia Regum & Principum.

Quinimo etiam si Summus Pontifex possit de iure ferire peculiari excommunicationis fulmine Reges, etiam Franciæ (vt ne amplius probem, indicant priuilegia à summis Pontificibus indulta Regibus Christianissimis, ne sibi, suisue liberis, aut coniugibus vnquam metuere debeant ab ictu excommunicationis fulmineo) nulla tamen ratione potest aut Reges deponere, suoue deturbare solio, multo minus subditos eorum absoluere à iuramento fidelitatis, aut in Reges permittere, iusue cuiquam facere sæuiendi aut mortem intentandi: *etenim effectus excommunicationis maioris sunt merè spirituales*, puta, priuare excommunicatum sacramentorum Ecclesiæ participatione & vsu, fidelium suffragijs, Ecclesiastica sepultura, & consuetudine vitæ cum alijs, nisi excusent casus concepti, & contenti hocce versiculo,

Vtile, lex, humile, &c.

Neque momentū habent rationes in contrarium adductę, nempe, quod sicut spiritus habet imperium in corpus, vt illud castiget, si seditiose secedat & detrectet obsequi spiritui: Ita Ecclesia Summusque Pontifex, qui est per religionem quasi anima status politici, possit animaduertere in Principes seculares. Item quod ille cui datur Facultas aliquid perficiendi, etiam detur eorum sine quibus illud fieri non potest: at Christus Dominus dedit suæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ auctoritatem sese propagandi toto orbe, ergo & amouendi impedimenta aduersantia, inter quæ si reperiatur proteruus Princeps, qui aut cuniculis aut machinis aperto opertoue marte prohibeat Ecclesiæ liberæ diffusionem & libertatem, è gradu dimoueri, deponi, & è medio tolli poterit auctoritate Summi Pontificis.

Verum ad priorem rationem respondeo, non licere spiritui quodcunque genus correptionis in corpus, neque in istud habere merum vitæ & necis Imperium, teste Apostolo 2 Corinth. 6. qui hortatur, *Simus vt castigati & non vt mortificati*, ὡς παιδευόμενοι καὶ μὴ θανατούμενοι: enimuero voluntas nostra, quamuis architectonice, & Regina Facultas totius suppositi nostri, non gaudet iam iure in appetitū animalem despotico (Aristot. in ethi. & D. Thom. 1.2)

Ad alteram quoque respondeo, non quodlibet medium esse aut idoneum, aut honestum, aut licitum ad finem aliquem obtinendum; deinde istud eget maturrima, & longissima deliberatione: & vt olim Areopagitæ de muliere veneficij rea consultationem & iudicium remiserunt in centum annos: ita postulanda esset merito annorum centuria vt videretur, expediatne Ecclesiæ Dei, fidem & religionem orthodoxam spargere & disseminare vi Principibus terrenis illata. Certè *virga Regni Ecclesiæ, virga est directionis, & pro columna ignis*, quæ prælucebat antiquo Mosaico populo: iam tegit nos & protegit columna nubis, id est gratia, quæ neque naturam, neque naturalia, aut gentilitia Principū iura destruit, sed perficit: Quapropter non existimo Summum Pontificem Romæ sedentem ad clauum Ecclesiæ, vnquam probaturum, *spermologos istos nouatores*, sanctissimæ Sedi Apostolicæ affingentes id quod antea nesciuit: Quinetiam non dubito paterna tanti Pontificis viscera plurimum commoueri erga charissimos Principes filios suos, quos non amat ad iracundiam prouocare, imo quibus metuit, & inuigilat quotidie lachrimabundus, vt malit quidlibet ab ijs pati, quam de exhæredando illos cogitare, prodigi fuerint supra modum, attamen cito profert illis stolam primam, & annulo fiduciæ & bonæ spei reddito, procumbet in eorum colla, matrem se meminit, matrem se cogitat, non minus deficientium quam proficientium, & compatitur super contritione Ioseph, expresso illis lacte etiam exhortationis de vbere compassionis, vnde si quando laceretur ipsa, & sibi vngues infigant sui, non conqueritur, propterea quod mater est. S. Bernard.

Denique tametsi omnia ista suspiria, lachrimæ, labores, molestiæ, orationes, & beneficia non emollirent Principes malos, satius multo foret expectare & comparare se ad martyrium quam iugum excutere subiectionis; sic enim sanguis sub gladio gementium, foret iterum semen & germen Christianorum, sicut segetes falce demessæ & tribulâ excussæ è spicis, denuo in terram reiectæ, moriendo refundunt adauctam spicarum granis onustarum copiam, scilicet minus multo est, quod bellicus labor parit Ecclesiæ, quam quod pax Christiana subijcit: Quoniam igitur non video partem oppugnantium niti vllo fidei orthodoxæ articulo, ea de re edito, (neque *Patres* me arguent temeritatis) nondum compellor à sententia hac recedere, cui dum inhæreo, nolo vel tantillã obseruantiæ erga communem omnium nostrũ Patrem Sanctissimum Dominũ Papam partem minuere, vel auctoritati supremæ atque plenitudini in Ecclesia potestatis, quam supra demonstraui, accepisse à Christo Domino non ab Ecclesia ipsa, detrahere, aut labem inspergere.

Quantus enim ego sum vt succensere & æmulari debeam, aut inquirere patrios & auitos in vsus Summi Pontificis, eosque probabiles, hoc est nemini hactenus inuidiosos, ergo non possum interea non offendi magnopere & exacerbari aduersus dirum & pessimè feriatum hominem *Becanum*, eiusque ominosum & portentosum valde libellum, non repudiare & proculcare, quem nuper inscripsit & edidit sub titulo, *Controuersiæ Anglicanæ*, sed plane maniaco & dæmoniaco, & mente impia, atque sacrilega: atque aduersus istam pestilentissimam, furiosissimamque *Becani buccam*, & scripturam oppono, vt compendio dicam, *Barclaium, & Ioannem Barclaÿ, & Rogerum Vindrictonum* Catholicum Anglum, qui firmissimis argumentorum machinis arietant & exturbant propugnacula *Becani, Bellarmini Cardinalis alioqui Illustrissimi, & de Ecclesia sancta optimè meriti, Marianæ & similium.* Quod autem postremo loco hic attexo, exhomologesis mea est, quà meas hasce animaduersiunculas, ni valde fallor, Sanctorum Patrũ, Conciliorum œcumenicorum, adeoque ipsius Scripturæ sacræ doctrinis & decretis omnino consentientes, vna cum totius vitæ meæ ratione & serie melioribus iudicio, censuræ, καὶ δόξῃ καὶ ἐκδικήσει Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ matris meæ expono & subijcio, ita me Deus Optimus Maximus, salua Academia aris & focis, incolumen seruet sospitetque.

I. Ex

1. Ex his perſpicuum eſt (*Pater Sanctiſſime*) *doctrinam* hanc *nouam* de poteſtate Papali Principes ſupremos deponendi, & de rebus omnibus temporalibus, & conſequenter de *Coronis* & *Capitibus* Principum, in ordine ad bonum ſpirituale diſponendi, tanquam de *fide Catholica certâ*, & ab omnibus fidelibus *neceſſariò*, & ſub pœna æternæ damnationis *credendam* (in qua tum *Breuia* Veſtri Prædeceſſoris *Pauli* V. Iuramentum fidelitatis prohibentia, tum *Decreta* Illuſtriſſimorum *Cardinalium* quoſdam *Widdringtoni* libros verbis tantùm generaliſſimis proſcribentia potiſſimùm fundantur, & ob quam impugnandam idem *Widdringtonus*, cæterique Angli Catholici eius doctrinæ adhærentes à Card. *Bellarmino*, eiuſque ſequacibus tanquã Pſeudo-Catholici, à fide Catholica Apoſtatæ, & *Sedi Apoſtolicæ* rebelles per ſummam iniuriam traducuntur, et varijs oppreſſionibus iniuſtè affliguntur) non ſolùm *Senatui Pariſienſi* ex probis, doctis, et prudentibus Catholicis maxima ex parte conflatæ, quæ pluribus *Arreſtis* [a] contra libros *Card. Bellarmini*, *Franciſci Suarez*, et aliorum editis, *doctrinam* hanc *nouam*, tanquam *falſam*, *ſcandaloſam*, *ſeditioſam*, et *Principum Coronis iniurioſam*, *eorumque Capitibus periculoſam*, ſub *pœna læſæ Maieſtatis* condemnauit, verùm etiam ipſi Doctorum Pariſienſium *Vniuerſitati*, aut plurimis ad minimum illius *Academiæ* Doctoribus (vti *Acta* ſuperiùs relata commonſtrant) quàm maximè diſplicere, et exoſam eſſe.

[a] *Hæc Arreſta habentur in fine Strenæ Catholicæ.*

2. Adeo vt *Cardinalis Peronus* nationis *Gallicanæ* Catholicus celeberrimus, et non dignitate tantùm *Cardinalitia*, ſed eruditione etiam *Theologica* illuſtriſſimus, atque in hac controuerſia optimè verſatus, neq; *doctrinæ*, quam *Regnum Franciæ* (teſte *Petro Pithœo* [b] viro

[b] *Supra nu. 33.*

etiam doctissimo) vti *certam* semper tenuit, ignarus, aut eorum quæ tum à *Senatu*, tum à *Facultate Parisiensi* acta sunt inscius, affirmare non dubitauerit, (quod sæpe sæpiùs inculcare necessarium ducimus) *non debere hanc Disputationem impedire reunionem eorum, qui Ecclesiæ reconciliari desiderant* [c]: Vnde manifestè consequitur, impugnationem huius *nouæ doctrinæ* quæ *Ecclesiæ Romanæ* tam scandalosa est, vti diximus, & *supremæ* Regum *potestati* tam iniuriosa, eorumque *Capitibus* periculosa, non posse à quoquam timoratæ conscientiæ Catholico vti illicitam reprehendi, neque iustã præbere causam *Patribus Iesuitis*, aut alijsque quibuscunque eorum sectatoribus, pacem ac vnitatem Ecclesiasticam in Anglia disrumpendi, Schisma fouendi, vel eos Catholicos, qui eam impugnant, à communione Ecclesiastica tanquam *Ethnicos*, *Publicanos*, aut *manifestè criminosos* separandi, aut Illustrissimis *Dominis Cardinalibus* ad *Indicem* deputatis eorum Catholicorum libros, qui eam refutant, hoc duntaxat nomine prohibendi, & in librorum prohibitorum Catalogo reponendi.

[c] Nu. 23. suprà.

3. Eapropter *Vestram Beatitudinem* iterum atque iterum suppliciter obsecramus & obtestamur, vt vel prædicta *Illustrissimorum* Cardinalium *Decreta*, & Vestri Prædecessoris *Breuia*, rescindat & irrita declaret, vel vt *Illustrissimos Cardinales*, qui *Decreta* illa condiderunt, & Vestrum *Prædecessorem* ad *Breuia* sua huc mittenda, vti credibile est, incitarunt, ad particularia descendere, & vel *vnicam propositionem* aut in Iuramento, aut in libris *Widdringtoni* contentam, quæ fidei, saluti, sanæ doctrinæ, aut bonis moribus repugnet, quò eam detestari, retractare, aut ab ea nos purgare quamprimùm possimus, nobis notam facere sua authoritate compellat.

Quòd

Quòd si post tot humillimas *Supplicationes* prædicti *Cardinales Illustrissimi* ad particularia descendere abnuerint, neque *Widdringtono*, nobisque eius doctrinæ adhærentibus vllam *particularem propositionem* Censura dignam palam facere voluerint, quid *Sanctitas Vestra*, totusque Christianus orbis de eiusmodi Illustrissimorum Cardinalium Decretis meritò iudicare possit, tum *Vestræ Beatitudinis* prudentiæ, ac iustitiæ, tum eorum conscientijs iudicandum relinquimus.

4. Etenim si quispiam hæreticus toties *Vestram Beatitudinem* humillimè deprecaretur, vt si forsan aliquis illius liber authoritate *Sedis Apostolicæ* verbis tantùm generalibus proscriptus esset, propositiones illæ particulares, ob quas proscriptus est, illi indicarentur, atq; palam & in conspectu mundi coram Deo protestans, se quæ purgandæ sint, purgaturum, quæ explicandæ explicaturum, quæ corrigendæ correcturum, & quæ retractandæ confestim retractaturum, quoties *Widdringtonus* idem, & cum eadem protestatione à *Vestro Prædecessore* suppliciter postulauit, non dubitamus, quin *Sanctitas Vestra*, pro Pastoralis sui officij debito, & tam in priuatam illius hæretici, quàm in publicam totius mundi, in cuius conspectu *Supplicatio* tam humilis facta est, satisfactionem, ad particularem aliquam propositionem ab eo vel omnino retractandam, vel saltem meliùs explicandam descendere dignaretur: Et nunquid forsan haud æquum & dignum est, vt viri Catholici, & qui pro fide *Catholica Romana* palam agnoscenda varias ærumnas sustinuerunt, & mortem ipsam subire parati sunt, quique *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ* iudicio se in omnibus humillimè submittunt, eandē gratiam, quin potiùs iustitiam à *Sede Apostolica*,

&

& supremo animarum Pastore post tot humillimas *Supplicationes* obtineant? Non ita egerunt Patres Concilij *Constantiensis* cum *Wicleffo*, *Ioanne Hus*, & *Hieronimo* de *Praga*, nec *Leo* Papa decimus cum *Luthero*, nec *Vniuersitas Parisiensis* & *Colonienſis* cum *Marco Antonio de Dominis*, nec Doctores *Sorbonici* cum *Becano*, aut *Parliamentū Parisiense* cum *Card. Bellarmino*, & *Francisco Suarez*, sed *particulares propositiones* Censura dignas, quamuis haud rogati, annotarunt. Et nonne idem viris Catholicis si non eò quòd Catholici sunt, saltem propter importunitatem rogantium concedi debuisset? Adeo vt hæc ipsa *Prædecessoris* Vestri, & *Illustrissimorum Cardinalium* post tot *Supplicationes*, vt ad particularia descendant, reticentia non leue tum *Vestræ Beatitudini*, tum alijs quibuscunque viris prudentibus argumentum esse possit, prædicta *Breuia*, et *Decreta* in falsis suppositionibus, quas præfati *Cardinales Illustrissimi* iustificare non possunt, fundata esse; quæque proinde vt vestra authoritate rescindantur, et irrita declarentur, à *Vestra* charitate et iustitia instantissimè postulamus, atque vt vel nos innocentes declararemur, ijque qui nos tam iniquè calumniati sunt, coerceantur, et reprimantur, vel crimen aliquod *particulare*, cuius adhuc conscij non sumus, quod emendare tenemur, nobis patefiat, à *Sanctitate Vestra* iterum atque iterum obnixè ac humiliter postulare innocentiæ nostræ defendendæ gratia nunquam, Deo volente, desistemus.

5. *Denique*, de pluribus alijs obseruatione dignis circa præfatam *Illustrissimorum Cardinalium* contra librū *Becani* Censuram, et Reuerendi admodum Patris *Claudij Aquavivæ* Societatis Iesu Præpositi generalis contra eundem librum *literas*, et circa *recognitam* et expurgatam

gatam, seu potiùs magis fædè, quàm antea conspurcatam eiusdem *Becani* Controuersiæ Anglicanæ *Editionē* paulò pòst in lucem emissam, Summoque Pontifici *Paulo* V. dedicatam, atque à Patribus suæ *Societatis* approbatā; & quàm artificiosè *Becanus* tum *Serenissimæ* Franciæ *Reginæ*, tum *Doctoribus Parisienbus* sub fuco *Recognitionis*, seu Expurgationis illuserit (cùm *vnicam* [c] tantùm ex illis propositionibus, quas præfati *Doctores* tanquā *Censura* dignas annotarunt, expunxerit, quam tamen statim postea Illustrissimus *Card. Bellarminus* in suo *Schulckenio* [d], tametsi non adeo assertiuè sicut *Becanus*, sed tantùm, *cùm credibile est*, palam propugnare non est veritus) & quàm iniuriosè idem *Becanus* vocabula illa *legitimus*, & *supremus*, quæ in priori *Editione* pag. 102. idque pro *certo* affirmans posuerat, in *Controuersia*, vti prætendit, *recognita* expungens, *Regem* nostrum [*] *Serenissimum*, totumque *Angliæ* Regnum tractauerit, nihil ampliùs ob pacis Ecclesiasticæ bonum in præsenti dicemus; plurimùm confisi, *Vestram Beatitudinem*, pro singulari sua prudentia, charitate, iustitia, & pacis ac vnitatis Ecclesiasticæ conseruandæ zelo, *scandalosæ* huic *controuersiæ*, ob quam Angli Catholici grauissimas tribulationes & persequutiones iam per plurimos annos à suis præsertim fratribus, eiusdemque fidei Catholicæ domesticis passi sunt, finem quietum, tranquillum, & pacificum breuî imposituram, nosque vi oppressos, & à viris in *Curia Romana* potentibus plurimùm tribulatos & vexatos, de manibus calumniantium & tribulantium citò liberaturam, vt ita *Sanctitas Vestra* iuxta elogium illud, [*In tribulatione pacis* [f]] quod Sanctus *Malachias* [g] Ordinis *S. Benedicti* monachus, & Archiepiscopus *Ardinacensis*, quingentis ferme abhinc annis

[c] *nempe, tertiam in ordine.*

[d] *pag. 558. Editionis Coloniensis.*

[*] *pag. 116.*

[f] *Habetur apud Arnoldum Wion in ligno vitæ lib. 2. pag. 307. vbi recitat prophetias S. Malachiæ de Summis Pontificibus.*

[g] *Eius vitam describit S. Bernardus.*

annis de *Veſtra Beatitudine* ſpeciatim vaticinatus eſt, *Vir pacificus in tempore tribulationis*, tum à nobis, tum ab omnibus qui pacis & concordiæ non ſolùm inter ipſoſmet *Eccleſiaſticos*, ſed inter etiam *Regnum*, & *Sacerdotium* conſeruandæ ſtudioſi ſunt, veriſſimè dici, & palam prædicari queat.

VESTRÆ SANCTITATIS

Filij & Serui quàm humillimi

D. Thomas Preſtonus
Fr. Thomas Greenæus } qui ſupra.

Et ego *Rogerus Widdringtonus* huic iuſtiſſimæ prædictorũ Patrũ poſtulationi aſſentior, ſubſcribo, & pro tot atrociſſimis calumnijs ſuprà [k] relatis, quæ mihi falsè et per ſummam iniuriam impoſita ſunt, iuſtitiam à *Sanctitate Veſtra* inſtantiſſimè poſtulo.

[k] Num. 43.

Rogerus Widdringtonus Anglus Catholicus.

BIBLIOTHECA LAMBETHANA

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Corrig.*
33.	32.	veruntamen.	verùm etiam.
36.	5.	immolauit falsò, aſſimilat.	immolauit, falsò aſſimilat.
75.	19.	vnquam	nunquam.
93.	5.	noluerint.	voluerint.